LI VOET, GISB. FIL.
s in Acad. Ultraject. Anteceſ-
ris, & Vianenſis Cameræ
Senatoris

DE
UELLIS

Ex omni Jure deciſis caſubus,

LIBER SINGULARIS,

Editione iteratâ auctus, & emendatus.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ULTRAJECTI,
Ex Officinâ Johannis à Waesberge
cIↄ Iↄ c LVIII.

AD LECTOREM.

QUi cupis exactè cognoſcere
Jura Duelli
En liber eſt voto commodus hicce tuo,
In quo perdoctâ methodo pręcepta docentur
Quę poteris facili diſcere lector ope:
Hæc præcepta vetant ad vulnera ſurgere cives,
Prętorii faſces quos cohibere ſolent:
Hæc præcepta jubent decidi à Judice lites,
Non pugnâ dirimi, quas malus error alit:
Hæc præcepta monent juſto moderamine vitam
Et bona tutari quemque decere ſua,
Et ſimul emendant condignè legibus illos
Omnes, injuſtè qui prius arma movent.

ABRAHAMUS De WYCKERSLOOT,
Rheno-Trajectinus.

INDEX CAPITUM,

Tractatus de

D U E L L I S.

CAPUT I. *De voce & definitione Duelli.* Pag. 1.
CAP. II. *Utrùm licita duella ludicra, gloriæ cauſâ ſuſcepta?* p. 13.
CAP. III. *Utrùm corporis exercitium licitum?* p. 25.
CAP. IV. *Quid ſtatuendum ſit de nudorum certaminibus?* p. 35.
CAP. V. *Utrùm armorum exercitium licitum atque utile?* p. 40.
CAP. VI. *Utrùm duella judicialia admittenda?* p. 50.
CAP. VII. *An quis licitè acceptet conditionem certaminis ſingularis, ſi ſit innocens & adverſarius calumniator?* p. 69.
CAP. VIII. *Inquiritur in duella, ex quibus belli aut prælii futuri ſumitur præjudicium?* p. 75.
CAP. IX. *Quid ſtatuendum de certamine duorum ultimo ſupplicio juſtè addictorum?* p. 80.

CAP.

CAP. X. *Quid ſtatuendum de duello utilitatis publicæ gratiâ ſuſcepto?* p. 87.
CAP. XI. *Duella privata ab hoſtibus oblata, num accipienda?* p. 97.
CAP. XII. *Utrùm patrem patriæ proditorem liceat occidere?* p. 103.
CAP. XIII. *De duellis ſeriis extra judicia gloriæ cauſâ ſuſceptis.* p. 117.
CAP. XIV. *Duellum ſerium oſtentationis gratiâ initum, num licitum?* p. 122.
CAP. XV. *Utrùm duella ad defenſionem ſui adhibita, licita ſint?* p. 131.
CAP. XVI. *An ſi provocans interfecerit provocatum juſtæ defenſionis beneficio uſus eſſe cenſeatur, aut vice verſâ?* p. 142.
CAP. XVII. *Utrùm æqualitas armorum ſit neceſſaria?* p. 146.
CAP. XVIII. *Utrùm inſultatus ab inſultante primum ictum excipere teneatur, utrùm verò eundem antevertere poſſit?* p. 152.
CAP. XIX. *Defenſio neceſſaria utrùm licita adverſus Magiſtratum?* p. 162.
CAP. XX. *Utrùm eum liceat occidere, qui aliquem aggreditur animo tantùm mutilandi?* p. 168.

CAP. XXI. *Utrùm fugere teneatur, qui fugere potuit?* p. 171.

CAP. XXII. *Utrùm mortem minantem liceat occidere?* p. 175.

CAP. XXIII. *Utrùm ad defenſionem pudicitiæ ſtuprare volentem liceat necare?* p. 178.

CAP. XXIV. *Utrùm qui moderamine adhibito aggreſſorem occidit, in mulctam pecuniariam aut in impenſas ſit condemnandus?* p. 184.

CAP. XXV. *Utrùm defenſio cognatorum aliorumque ſit permiſſa?* p. 187.

CAP. XXVI. *Utrùm ad ſolam rerum defenſionem furem occidere liceat?* p. 196.

CAP. XXVII. *Utrùm duella licentiâ ſuperiorum inter ſocios aut ſubditos ſuſcepta, ſint licita?* p. 212.

CAP. XXVIII. *Quæ ſit occaſio duellorum?* p. 221.

CAP. XXIX. *Utrùm duellorum ulla ſit utilitas?* p. 229.

CAP. XXX. *Duellantes utrùm audaces, an meticuloſi?* p. 233.

CAP. XXXI. *Utrùm ſingulare certamen injuriarum illatarum, honoris defendendi gratiâ*

gratiâ ſuſceptum, ſit licitum? p. 241.

CAP. XXXII. Quæſtio I. *Utrùm ſi quis aliquem exſpectet dicendo; nolim tecum congredi, verùm aliquò ſum iturus; qui me adoritur virum me ſentiet: excuſetur à delicto?* p. 279.

Quæſt. II. *An quis aliquem licitè occidat, ſi primùm illi conceſſerit, aut permiſerit arma?* p. 282.

Quæſt. III. *Utrùm qui inſignibus vel armis alterius familiæ uſus eſt; duello provocari poſſit?* p. 284.

Quæſt. IV. *Utrùm duellum religionis gratiâ ſuſceptum, ſit licitum?* p. 286.

Quæſt. V. *Utrùm duellum licitum, quod inter rivales ſuſcipitur?* p. 290.

CAP. XXXIII. *Rationes diſſuadentes ſingulare certamen proponuntur.* p. 294.

CAP. XXXIV. & ultimum. *Remedia contra duella.* p. 309.

DISPU-

INDEX CAPITUM.

DISPUTATIONES TRES,

Ad l. 2. Cod. leg. Cornel.

DE

S I C A R I I S.

P R I M A.	*Pag* 335
S E C U N D A.	*p.* 353.
T E R T I A.	*p.* 369.

DE

DE DUELLIS Licitis & illicitis.

CAPUT I.

De voce, & definitione Duelli.

DE *Duellis* acturus, operæ precium me facturum exiſtumavi, ſi quędam criſin iſtius vocis ſpectantia, in anteceſſum dedero, præſertim cum non in omnibus aſſentiar ſcriptoribus, ſtatuentibus vocabulum *Duelli*, non ejuſdem hodie, cum eâ, quę olim obtinuit eſſe ſignificationis. Alciatus monomachias leges præſcripturus libello peculiari, vocem *Duelli* latinam non ſatis eſſe putans,

aut ſaltem non uſitatam apud claſſicos linguæ latinæ autores, alium à recentioribus ſcriptoribus, iſti vocabulo additum uſũ cenſet, quam quidem par erat. Hinc etiam abſtinendo à voce duelli, maluit rem exprimere nominibus *ſingularis certaminis.* Quod inſtitutum quamvis non improbandum, ſic nec adverſæ ſententiæ ratio negligenda. Fateor quidem uſitatiſſime *duelli* nomine antiquitus bellum fuiſſe deſignatum, quia *bellum à duello*;(non quod minime *bellum*, ut nonnulli perperam exiſtumabãt, quos reprehendit Eruditiſſ. Voſſius) etiam bellum ubique fere ſignificatum fuiſſe duelli vocabulo: ut apud Feſtum, Varronem, Lucretium aliosque. Imprimis apud Plautum, cujus aliquot loca hic ſolum recenſebo: *Victores victis hoſtibus legiones revenıunt domum.*

Voſſius in opere Magno Orator. libr. 4. c.

Duello

Duello extincto maximo, atque internecatis hoſtibus. Plaut. Amphytr Act. 1. Scen. 1.

Et Capteiv. in Prolog.

--- *Valete judices juſtiſſimi* Feſtus de verbor.

Domi; belliqúe duellatores optimi. ſign. Var. l. 4. ling. lat. lucr. lib. 2. v. 27.

Quia tamen alibi Plautus, *duellum*, non ad bellum, ſed duorum pugnam refert, contra aut præter belli formam dimicantium; quidni eadem vox idem, quod ſingulare certamen, ſignificabit. Sic enim ille in Amphitruone. (Quamvis non ignorem à quibuſdam criticis hos verſus inter reos relatos.)

Conſimiles ſunt adeo, ut utri aſſim neſciam: rixam tamen, Plaut. in Amphytr Act. 1. Scen. 1.
Ut poteſt, dirimam. Amphitruo noli Amphitruonem duello perdere.
Linque collum precor. ---

Malui, non ſine auctoritate ſcriptoris antiqui, vocem hodie uſitatam, quæque ſine periphraſi rem ſatis exprimit retinere. Quæ ut olim plerum-

que bello uno forte atque altero loco excepto, ſic hodie illi aut raro, aut nunquam applicabitur. Verùm quia nomina rerum ſignificandarum gratiâ ſunt adinventa, nec aliquem oportet eſſe tam de vocabulis, quàm de rebus ſollicitum, quod jura potiùs rebus, quàm verbis lata ſint: ad explicationem materiæ propoſitæ, relicto cuivis circa uſum vocabuli ſuo judicio, memet transferam. Ubi primùm examinanda venit definitio, ſeu mavis deſcriptio, circa quam etiam ſcriptores diſſentire conſueverunt & plerique meo judicio fuerunt hallucinati. Verùm priuſquam aliorum ſententias ad incudem revocem, prænotabo *duellum*, quandoque in laxiore accipi ſignificatione, ſcil. pro quocumque certamine duorum, vel licito, vel illicito, le-

l. 2. in fin. Cod. comm. de leg.

gibus

gibus permiſſo, aut prohibito. Quandoque in arctiori ſignificatione, pro ſingulari certamine, & quidem deliberato, ad veritatis probationem, vel purgationem criminis. De quâ poſteriori ſignificatione agitur & in jure canonico, & in uſibus feudorum. Eoq; nomine refertur duellum ad vulgarem purgationis ſpeciem, in quâ victor pro innocenti victus pro convicto habebatur. Quale etiam duelli genus plerique intelligunt caſuiſtæ, dum loquuntur de monomachiâ. Fuit enim prioribus illis ſeculis duellum inventum, ut veritas quæ dubia, fieret manifeſta, ut innocentia cuique tuta foret, & improbus calumniator pœnas lueret ſuæ temeritatis.

Can. 2. de Purgat. Vulgar. libr. 2. feud. tit. 27. in init. Alciat de ſingulari certam. Azor. Inſtit. Moral. part. 3. libr. 2. cap. 5. Tholoſan. Syntagm. juris univ libr. 48. cap. 16. Fragoz. part. 1. libr. 1. diſp. 2. Regim. Reip. Chriſtian.

Proinde ſi de veritate certo conſtaret, & notoriū eſſet, eum qui ad duellum provocat, nocentem eſſe, non erat duello lo-

Hoſtienſ. in ſummâ. de Cleric. Pugnant. in duello.

locus. Cum fruſtra remedium in defectum probationum adhiberi ſolitum, admittatur, ſi abundè de facto conſtet, neque ex formulâ Doctorum certioratus judex, amplius oporteat certiorari. Paulo tamen generalius hôc loco de duello agere decrevi, quam ut vulgari probationi tantum applicari debeat.

De Uſibus feudor. l. 2. tit. 27. in med. Initii. Bald. in l. cum filius. final. D. de leg. 2.

Bocerus tum demum locum obtinere cenſet duellum, cum pugna duorum, nec legitimâ de causâ eſt inchoata, nec auctoritate ducis aut Imperatoris exercitus inita. Verùm meo judicio minùs accurate. Neque enim tot gentium domitor Alexander Magnus ideo duelliſta (utar illâ voce) appellandus, quod cum pleriſque gentibus bellum geſſerit, eo non ritè in anteceſſum, per fecialem indicto. Nec unquam latrones, qui intutũ ac infeſtum reddunt

Bocer. de duell. c. 1.

mare, qualis ille ab Alexandro interceptus, quales pyratæ, Tunenſes aliiq;, duellatores nuncupabuntur, licet ſine juſtâ cauſâ, ſine mandato ducis aut Imperatoris, quem forte nullum agnoſcunt, naves mercatorias adoriantur, & expugnent.

Johannes Lignanus, duellum deſcribit per capitalem pugnam deliberatam hinc inde, ad purgationem vel gloriam. Verùm hæc duelli definitio, non tam omne duellum continet, quam potiſſimas ejus ſpecies. Quid ſi etenim laniſtæ ad artis exercitium inter ſe concurrant, idque vel citra, vel non ultra vulnera, quemadmodum Commodum Imperatorem cum gladiatoribus in arenâ depugnaſſe auctor eſt Herodianus, annon cenſebitur eſſe certamen ſingulare, annon dimicatio inter partes contendentes, licet nulla pugna capi-

Herodian. lib. 1.

talis, quod non agatur de capite aut vitâ cujuſquam? Inſuper, quis inficias iverit duellum appellari poſſe, ſi latro vel nocturnus agrorum depopulator aliquem viatorem in itinere aggrediatur? Aut ſi ex improviſo duo nocturno tempore, in ſe mutuò irruant? Nulla tamen hinc inde deliberatio, nulla intentio dimicandi, nec animo deſtinato conflictus inſtituitur, verùm caſu prorſus inopinato. Amplius, quid ſi duo loco deſignato, indicto tempore, irâ incitante, & ut vindictæ cupidini ſatisfaciant, invicem adoriantur, an non ſingulare certamen eſſe dicetur, licet nec ad innocentiæ purgationem, nec ad gloriam quicquam conferat hoc duelli genus, neque quidem ex intentione dimicantium?

Eligius Baſſæus in Floribus Theolog. pag. 264.

Ab hâc Lignani deſcriptione non multum recedit Eligius Baſ-

Baſſæus, quo cum etiam conſentit Bonacina, cui duellum eſt: *pugna ſingularis deliberata ab utraque parte, ſponte & ex condicto ſuſcepta, cum periculo occiſionis, vel mutilationis, aut vulneris.* Bonacina Tom. 1. fol. 597. num. 2. & ſeq.

Verùm, ut quod res eſt dicam, & iſthoc modo duelli vocabulum nimium coarctatur eò quòd omnia duella ludicra, qualia ſunt haſtiludia, enſiludia, torneamenta, aliaque plura, quæ excludantur. Etiam illa, judicis auctoritate, & quidem partibus invitis, ſaltem non petentibus, imponuntur. Quæ omnia tamen duellorum venire appellatione, adeo certum eſt, quàm quod certiſſimum. Finis equidem eorum eſt veritatis indagatio, ac dubii litis eventus deciſio. Ut inſuper hoc adjiciam, nec loci aſſignationem, nec temporis indictionem, quicquam ad eſſentiam, aut formalem ratio-

nem duelli conferre: quod etiam illi qui ſtrictis mucronibus jam de facto invicem provocant, & adoriuntur, verè duellantes ſint dicendi.

Neque obſtat, quod moralium rerum ſcriptores in duello requirant, temporis aſſignationem, adjunctâ loci determinatione; Idque ſecundum Bullas Gregorii 13. & Clementis 8. Neque enim harum circumſtantiarum loci ac temporis requirunt determinationem, quaſi ſine iis, duellum non eſſet duellum, verùm quod ea omnia requirantur, ut duellatores incidere dicantur in pœnas ſecundum canones pugnantibus in duello infligendas. Quæ ſi abſint, ab ordinariâ pœnâ cenſentur immunes, & extra ordinem puniri merebuntur. Quinimo poterit eſſe duellum, quod potius veniam, quam pœnam merebitur,

Eligius Baſſæus pag. 264. art. 2. & 9. Barboſ. in collect. ad Concil. Trident. Seſſ. 25. ſuper Reformat. c. 19. art. 7. & 9.

tur, in quo conſequenter loci ac temporis conditiones neceſſariæ non ſunt.

Non etiam duello applicari poterit illa Vaſqueſii definitio, *quod ſit certamen ſingulare, aut pugna, æquis legibus dimicantium.* Præterquam enim quod non omne duellum, aut ex pacto, aut mutuâ oriatur voluntate, ut ſi quando latro, vel nocturnus agrorum depopulator cuiquam inſidiatur: etiam non omne duellum, mutuo conſenſu initum, æquis ſit conditionibus. Quidſi enim nonnullus ſibi nimium tribuens, aliquem gladio cinctum, pugione provocet? Quidſi de loco iniquo cum adverſario congredi velit? Quid ſi equitum alter equum habeat minus exercitatum, aut ad quamvis circum agitationem, & curſum, minus ductilem? Non tamen ea propter duellum eſſe

Vaſquez: libr. 1. contr. Illuſtr. cap. 11. num. 36.

negabitur, quod parùm curandum ſit, æquis an iniquis conditionibus certetur.

Probabilior hæc definitio, ſaltem meo judicio: eſt *certamen duorum de victoriâ citra belli formam decertantium.* Quæ ferè coincidit cum Feſti deſcriptione in voce duellum. Neque accuratior Boceri deſcriptio, ſtatuentis, *duellum eſſe certamen duarum partium, quia plures utrinque pugnam committere poſſunt.* Duorum enim qui dicit, nullâ ratione excludit ſed potiùs includit partes duas. Preterquam, quod magis propriè duorum pugna dicatur, uti etiam antiquitus à duobus ſic appellata, quod niſi inter duos eſſet bellum. Et licet nonnunquam, non tamen ſemper, plures ſint utrinque, qui duello decertant, nihilominus duo regulariter reperiuntur, qui vel primam occaſionem ſingularis congreſſus ſuppedi-

peditant, aut in gratiam reliquorum ſingulare ſubeunt certamen. Inſuper, licet plures quandoque congrediantur, hunc tamen ordinem ſervare ſolent, ut bini concertent, quẽadmodum apud antiquos aliquot paria dicebantur edita gladiatorum. Quicquid ſit, non abſurde dicetur eſſe duorum certamen, quia ſinguli cum ſingulis congrediuntur, hoc ipſum ſatis ſuperque vocabulis, *monomachias*, *ſingularis certaminis*, ac *duelli*, indicantibus.

CAP. II.

Utrum licita duella ludicra, gloriæ causâ ſuſcepta?

DIu ante Manuelem Commenium, Imperatorem Conſtantinopolitanum (ut id alibi perperam neget Panciróllus) in uſu fuere, ludicri quidam

dam ludi, Suetonio *Haſtici* vocati: per errorem à quibuſdam dicti *Actiaci*. Hodie vocabulo minus latino *Torneamenta* appellata, & inverſo modo Trojamenta: forte quia à Trojanâ juventute, quam in hoc ludi genere inſtitutam fuiſſe, teſtis eſt Virgilius, ad noſtra uſque tempora ſucceſſione quâ pervenerunt. Hoc tamen ſervato diſcrimine, quod hodiernis moribus, non pueri, quod ex veterum inſtituto obtinebat, ſed viri inter ſe concurrant. Neque amplius nudato capite, aut coronato, verum preſsâ galeâ ineatur certamen.

Virgil. l. 8. Æneid.

Ut hic ludus ſit lancearia quædam decurſio cataphractorum, in quâ ſinguli concurrunt, intermediâ de more lineâ erectarum tabularum diſcreti. Quod ludi genus hodie, maxime periculoſum, nullamque adferens utilitatem, illicitum

eſſe cenſeo. Idque congruenter ſententiæ Pauli, & Ulpiani juris interpretum; qui, cum agant de ludis, gloriæ causâ inſtitutis, ac permiſſis, puta de colluctatione, pancratio, pugillatu, deque quinquertio ludere, in quibus ferro non contenditur, excluſiſſe videntur torneamenta, quæ majori fiunt cum periculo; & in quibus in ſe mutuo cum impetu ruunt cataphractati. Ut exercitium tale, maxime nocivum, in culpâ collocari debeat.

l.7 §.4. D. Ad. leg. Aquil.

l.2. §.1. D. de Aleator. l. 10. D. ad l. Aquil.

Nec quicquam in contrarium movet Bocerus poſt Tholoſanum, quaſi lex permittat hunc ludum, illis verbis: *Senatus conſultum vetuit in pecuniam ludere; præterquam ſi quis certet haſtâ, vel pilo jaciendo.* &c. Certius enim nihil eſt, quam illa certamina, de quibus agitur lege allegatâ, longe diverſa fuiſſe à Torneamentis. Quid ſi enim

Tholoſ. Synt. jur. Univerſ. libr. 43. cap. 16. art. 3. Bocerus cap. 4. de duell. per l. 2. D. Aleator.

ſi enim veteres haſtis, id eſt contis, inter ſe depugnēt, uti hodie ſolent concurrere gladiatores? Id certè minore eveniet cum periculo, quàm ſi veloci equorum curſu lanceis acuminatis, vel aliter concurrant. Atque adeo non valeret argumentum à ludis veterum deſumptum, & quidem minùs periculoſis, ad eos ludos, qui maximo cum periculo ſunt conjuncti. Verùm evidentiorem reſponſionem ſuppeditat ipſa lex. Non dicitur licere haſtis aut pilis in ſe mutuò irruere, verùm conceditur haſtâ, aut pilo jaciendo, virtutis causâ certare. Ut nullum hiſce in ludis parti ab adversâ parte ſit periculum. Tantùm enim vires explorantur, uter certantium haſtâ aut pilum longiùs emittere, vel, evibrare valeat. Non aliter atq; inter milites recepta conſuetudo, ut artuum robur explo-
rent,

rent, globum ferreum, aut lapidem ad diſtantiam aliquam emittendo aut projiciendo. Longe itaq; aliter hoc obtinet in Torneamentis, ubi non ſinguli currunt, ſed partes concurrunt, & ita maximo cum periculo, in ſe mutuò animis exacerbatis, lanceiſque acuminatis, irruunt.

Nec tantùm de jure civili hoc exercitii genus prohibitũ ſed etiam de jure canonum. Quo *Torneamenta, deteſtabiles nundinæ vel feriæ* appellantur. In tantum etiam ut morientibus in Torneamentis eccleſiaſtica denegetur ſepultura. Can. 1. de Torneam can. 2. eod.

Rationes etiam in promptu ſunt, quibus talia ludorum genera diſſuadentur.

1. Quia audaciæ notam incurrit, qui temerè cum adverſario congreditur, non ſine periculo vulnerum, ac vitæ. Metus enim juſtus eſt, ne excuſſi ephip-

ephippiis ſolo deturbentur cataphractati, lapſuque graviore, quò pondere magis obruũtur, ſi non intereant, ſaltem periculoſe lædantur. Unde etiam inter Græcos ſapientiores, qui vel pueris talia exercitia permiſerũnt, eos, ut abſque periculo artis equeſtris, aliorum exercitiorum rudimenta addiſcerent, dorſis arietum, ne ex alto laberentur, imponebant.

Gabriel Naudeus libr. 1. Syntagm. de ſtudio Milit. p. 157.

Metus inſuper eſt, ne lanceis in adverſum directis ictu quo vulnerentur, aut iiſdem fractis, alibi particula caſſidem ſubintret. Quomodo maximò cum diſcrimine Ceſennæ exhiberi ſolitas fuiſſe illas decurſiones, propter craſſiores haſtas & præpilatas, quibus nobiles inter ſe concurrebant teſtis eſt Gabriel Naudeus.

2. Quia hoc genus haſtiludii nullam hodie utilitatem adferre poterit. Majore quippe cum

cum apparatu ludorum, ac ſcenarum celebratur, quam quidem in equeſtri conveniat decurſione. Et otioſis illud exercitii genus magis aptum eſt, quam viris in rebus bellicis occupatis, quibus ea magis placent exercitia, quæ non ad pompam aut oſtentationem tantum, ſed etiam ad commoditatem referuntur. Fateor quidem patrum noſtrorum memoriâ ludos haſticos conſueto more celebratos fuiſſe, verùm tum temporis non inutiliter, quod cum in prœliis, aut velitationibus, lancearii pugnarent equites, illius exercitii aliquis eſſet in bello uſus; quem etiam aliquo cum periculo redimere, non illicitum judicatur. Non aliter atque hodierno tempore equitum concurſus ludicri permiſſi, etiamſi nonnunquam cum aliquo diſcrimine adhibeantur;

quod tales fieri, exercitui, ac militiæ expediat. Verùm cum lanceariorum nullus ampliùs in bello ſit fructus, ceſſante illo armorum genere, & ex parte noſtrorum, & hoſtium, iniquum cenſebitur, oculos paſcere velle tali genere ſpectaculorum, quod plerumque poſt ſe trahit ſi non diſpendium vitæ, ſaltem valetudinis.

3. Magna ſubinde è Torneamentis ſuccreſcunt mala. A parte victoris orietur contemptus, adverſarium enim ſuperatum longè infra ſe ipſum ſuaque merita collocabit, quod eum à ſe ſuperatum animadvertat. Inſuper ſemet mirum in modum victor elevabit; vana quippe gloria eum elatum & vanum efficiet, ut in poſterũ neminẽ ſibi parem ferre velit, tantum abeſt, ut ſuperiorem. Audaciam præterea ſummam hoc ipſum ſuper addet victori,

quod feliciter adverſarium deturbaverit, eoq; proclivior erit ut ſecundùm vel tertiùm cum alio congrediatur adverſario.

Itidem à parte victi oborietur dolor, & indignatio, dum ſe victum experitur ab eo, quem ſi parem, non tamen ut ſuperiorem agnoſcere voluit. Hancque cladem potiùs fortunæ, aut caſui, quàm virtuti adverſarii imputabit. Hinc è dolore & indignatione audaciam colliget, & aut temerario auſu ſtimulatus, aut deſperatione adactus, adverſarium datâ occaſione provocabit, experimentum omnibus daturus, ſe non tam virium defectu, aut imperitiâ, quàm quidem fatali quâ neceſſitate, ſuccubuiſſe. Ut jam Martem velit diribitorem, qui antea fortunam non bonam, non æquam fuerat expertus. Quin imo, ſi victus à victore fuerit læſus, inimici-

tias

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

tias meditabitur capitales, adeoque vindictam quâvis occaſione repoſcet; quaſi non tam per infortunium, quam animo deſtinato damnum datum fuiſſe videatur.

Ex parte vero ſpectatorum non minora evenient incommoda. Ut enim exempla magis movent, quam res aut ratio ipſa, ita illi, qui animoſi, qui audaces, ſpe victoriæ, gloriæ cupiditate, ad illa exercitia incitabuntur: ſecundum illud Patavini Scriptoris: *alios æmulatio & certamen, ut provocarent, provocatiq; ne abnuerent, traxit*. Alii verò invidia ſtimulati, quod eum cernant victorem, quem potius victum & ſuperatum optaſſent, vel ſecundùm cum eodem cõgredi deſiderabunt quo potius deprimatur, ſi victus, quam ut obtentâ nuper victoriâ nimiùm elevetur. Inſuetum enim non eſt, homines ſuper pro-

Livius hiſtor. libr. 28.

proſperis aliorum ſucceſſibus contriſtari, atque dolere. Idque ſecundum illud Chryſoſtomi verſi: *Heri & pridie amicus & loquebaris cum illo, fortaſſe etjam comedebas; repente cum videas membrum tuum magis honeſtatum, abjectâ amicitiæ perſonâ, hoſtilem induiſti, imo inſaniam. Inſania enim eſt alienis bonis cruciari.* Alii non juſtâ æmulatione vel ipſum victorem provocabunt; infauſto duello experimentum ſumpturi, num eodem animo in re ſeriâ ſit futurus, quo in ludo equeſtri, tam ſi certetur armis decretoriis, quam ſi ludicris. Adeoque non tantum corpori ſed etiam animæ grande creabunt præjudicium.

Chryſoſt. Homil. 26. in 2. Corinth.

Quod ſi nondum movent allegatæ hactenus rationes, ſaltem moveant exempla. Quis ignorat iſta lætitiæ ac voluptatis ſimulacra ut plurimum dubia, ac luctuoſa fuiſſe, caſu quo

ſini-

ſiniſtro, atque infelici eventu? Dictavit hoc ſeculum antiquum in Nonio Aſprenate, qui coram Cæſare Auguſto Trojam ludens, crure ex equi lapſu eſt debilitatus. Teſtimonio inſuper eſt, ut ad recentiores veniam, infelix Franciſci Borbonii Anchiani caſus, qui miſerabili in ludo, luxatâ cervice, confractoque cerebro ſternitur. Nec oblivioni traditum Henrici ejus nominis ſecundi fatum, in publicâ celebritate, cum Mongomerio Comite concurrentis. Confractis enim utrinque haſtis, ex trunci ictu, qui fortè per apertam caſſidem in oculum penetraverat, ſecundariâ percuſſione vulnus accepit, quo intra undecimum diem confectus, naturæ ceſſit. Idem quod accidit in Germaniâ fortiſſimo Principi Friderico Thuringiæ Landgravio. Cum enim ille voluptatis & honoris gratiâ co-

Thuan. libr. 3. Hiſtor. Tom. I.

Comitibus & magnatibus provinciæ magnis impendiis equeſtres decurſiones Pegatiæ inſtituiſſet, ipſe per ephippium inter primos lanceâ trajectus, pro demortuo domum reportabatur. Atque ita periculoſi certaminis auctor, ejus periculum primitus fuit expertus. Herman. Kirchner. Orat. 26.

C A P. III.

Utrum corporis exercitium licitum?

INter ludorum genera, apud veteres uſitatiſſima, quibus inter ſeſe certantes committebantur, præcipua fuerunt, *luctatio*, ac *pugillatus*. De quibus Ulpianus Juriſconſultus, hiſce verbis: *Si quid in colluctatione, vel in pancratio, vel pugiles dum inter ſe exercentur, alius alium occiderit; ſiquidem in publico certamine, ceſſat Aquilia.* *Luctatio* erat una ex Gymnicis quinque, in Vlpian. in l. qua actione. 7. §. ſi quis. D. Ad l. Aquil.

quâ robore ac corporis viribus certabant; quæque lateris complexu peragebatur. Qui ſeſe exercebant, Græcis *Athletarum* nomine inſigniti fuerunt, eorumque locus palæſtra appellabatur.

Panciroll Ad l.unic. Cod. de Athl. *Pancration* ſecundum Pancirollum ex Alciato, ludorum quinquertium fuiſſe videtur. Ideo *pancration* dictum, quod ludorum genera omnia complecteretur. Mihi potius *Pancration* erit mixtum ludi genus, ex colluctatione & pugillatu. Quod etiam innuit ſatis Ulpianus in lege allegata, ubi medio loco inter luctationem & pugillatum pancration collocatur, quaſi utrumque complecteretur ex æquo. Et appellabantur, qui huic ludo vacabant *Pancratiaſtæ*, ita dicti, quod omnes robore ſuperarent, comprehenſi ſub Athletis. Quod ipſum, ex Gellio haud obſcure colligitur. *Ad ea cavenda at-*

que

que declinanda, perinde eſſe oportet animo ſemper prompto atque intento, ut ſunt Athletarum, qui pancratiaſtæ vocantur. *Non ſicuti illi ad certandum vocati, projectis altè brachiis conſiſtunt, caputque & os ſuum manibus oppoſitis quaſi vallo præmuniunt: membraque omnia eorum, priuſquam pugna mota eſt, aut ad vitandos ictus cauta ſunt, aut ad faciendos parata.* Et in hac fuiſſe opinione deprehendo Salmaſium, ut non videam rationem ullam, cur ſententiam mutem. Plinius enim Pentatlos & pancratiaſtas diſtinxit. *Milo,* inquit *fecit delphicos Pentatlos, Pancratiaſtas.* Ut per pentatlos intelligat qui omni ludorum genere exercitati, per Pancratiaſtas illos, quos deſcripſi.

Gell. in noct. Attic libr. 13. c. 26. ex Cicerone. Salmaſ. in Exerc. Plinianis. p. mihi 290.

Pugillatus, à pugillo, ſeu pugno dictus, eſt ille ludus, in quo pugnis, calcibus, motu, poſt etiam cæſtibus, & omni corporis niſu ac luctatione certabant.

Beroald. Comm. in Prop. Eleg. 13 libr. 3.

l, quâ actione. 7. §. ſi quis. 4. D. Ad leg. Aquil. l. unic. Cod. de Athlet. libr. 10.

De quibus ludis jam enumeratis quæritur, utrum liciti ſint ac permiſſi? certum id eſt de jure civili, quod inter noxios non referantur. Et ſi qui in illis læſi ſint, Aquilia experiri non poſſint; ut cum ceſſet Aquilia, etiam omni culpa vacui ſint ludentes.

Can. 1. de conſuet. in 6.

Si tamen jus canonicum ſpectetur, non videntur illi ludi eſſe liciti. Cum talis depugnandi conſuetudo ut peccati nutritiva, corruptela potius ſit, quam conſuetudo. Quo cum facit illud Franciſci Vivii:

Franciſc. Vivius l. 1. deciſ. 66.

Conſuetudo permittens duellum, pugnam, pancratium, ſeu ludum lapidum, pugnorum, non valet modo aliquo, nec tolerari debet, tanquam illicita & injuſta. Et licet, uti dictum, occidens aut vulnerans aliquem hujuſmodi in ludis, excuſetur à pœnâ temporali propter jus civile, non tamen in conſcientiâ tutus erit, nec

necexcuſabitur à peccato; cum ipſa conſuetudo, non tam excuſet peccatum, quam aggravet. Quinimo de jure canonum certantes ac dimicantes pœnam incurrunt excommunicationis. Et practici, homicidia in talibus ludis commiſſa quadantenus excuſanda cenſent, non verò in totum extra pœnam conſtituenda.

Vivius d. deciſ. Decret. Concil. Trident. de Reform. Seſſ. 25. c. 19. Gilhauſ. Arbor. crim. c. 2. tit. 12.

Nec deſunt rationes, quibus ſuadetur, ludos illos improbandos eſſe. 1. Quia illi ludi non ſunt ludi, in quibus ſeriò agitur, & concertantes invicem etiam cum dolore ferire ſtudent; ut adſit ibidem nocendi animus, & dolorem adverſario inferendi. 2. Quia tales ludi, tantum ad oſtentationem adhibiti, condemnandi, qui maximis periculis dimicantes ſubjiciunt. In tantum etiam ut nonnunquam homines in iis interimâtur. Quin imo non

raro in ejuſmodi ludis partes utrinque enecatas eſſe, præter Athenæum, Plutarchum, teſtatus eſt Galenus. Ne dicam in hoc ludi genere periiſſe Commodum Imperatorem, dum cum robuſtiſſimo quo palęſtrâ, ad hoc ab iis immiſſo, qui ejus Tyrannidē deteſtabantur, fauces ipſius fuerunt compreſſæ.

Galen. 3. de compoſ. Med. per gener. infin. Herodian. lib. 1.

3. Quia nunquam ſine ira aut affectu, aut ſimultate iſtud genus certaminis celebrari poteſt; ut pote in quo cuique propoſitum adverſarium ferire. Quis enim patietur ſibi plagas inferri ab adverſario, & quidem non ſine dolore, idque animo ſedato? Quis cæſtibus excipi ad livorem uſque, idque ſine odio aut affectuum perturbatione? Nemo equidem, niſi cui ubique partes corporis callo obductæ ſunt.

4. Quia ab omni humanitate prorſus alieni illi ludi, qui ſangui-

guinem provocant humanum; in quibus ſubinde nodoſis baculis, ſudibuſque præuſtis, (ut olim ab Eugubiis factum) decertant. In quibus manibus & calcibus inſultant, morſibus corpora fœdant, unguibus lacerant, oculos invicem eruunt, & quid non.

Ubi quandoque nudi juvenes, inter gladios ſeſe atque infeſtas frameas ſaltu jaciunt; quod apud Germanos factum fuiſſe refert Tacitus. Tacit. de Mor. German.

Quæ ſpectacula viſu triſtia & enormia, non jucunda, non temperata, maxime ſunt deteſtanda. Oculum teſtem dabo Tullium, qui quaſi ob oculos ea ponendo, à talibus ludis eos abſterrebit, qui humanitatem non exuerunt. *Adoleſcentium*, inquit, *greges Lacedæmone vidimus ipſi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morſuque denique, ut examinaren-* Tull. Tuſcul. 5.

tur, antequam ſe victos faterentur. Quale fere certaminis genus (quamquam de madidis, ac vino ſepultis,) verſibus graphicè depinxit Satyricus.

Hinc jejunum odium. Sed jurgia prima ſonare
Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ.
Dein clamore pari concurritur, & vice teli
Sævit nuda manus: pauca ſine vulnere malæ,
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine naſus
Integer. Aſpiceres jam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & biantia ruptis,
Oſſa genis, plenos oculorum ſanguine pugnos.
Ludere ſe credunt tamen, & puerileis
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent.

5. Quia talia certamina miſeri-

cor-

cordiæ Chriſtianæ repugnant, è quâ tanquam è fonte humanitatis manat; gaudere cum gaudentibus, ac dolentibus condolere; non autem ſemet oblectare in miſeria, in dolore & vulnere proximi. Juſtus etiam ſe miſericordē & mitem præſtat erga bruta, multo magis erga æquales, ſocios, & fratres. Oculi, manus, pedes in corpore bini conditi, ut conjunctim concurrant in commune auxilium. Partes in corpore diverſæ conſpirant ad totius conſervationem. Ut deceat Chriſtianos, membra reipublicæ Chriſtianæ conſpirare in unionem & ſalutem totius, non ad detrimentum partium ſingularum. Inprimis oportet Chriſtianos ab illis hominum commiſſionibus eſſe alienos, in quibus oculi ſanguine humano paſcuntur, adeoque natura redditur efferatior, Symm. l. 2. Epiſt. 46.

tior, dum illis crudelioribus in tantum aſſueſcunt, ut iiſdem delectentur. 6. Quia talia certamina, ut etiam certantes in nullo pretio apud moratiores gentes habiti fuere. Et quod priſcam ſapit diſciplinam, nulli apud Saxones alioſque tales artes honori, aut decori fuerunt: cum tamen ex monito Paulino, nihil committendum ultra quam decorum poſtulat. 7. Et ultimo, quia talia certamina, vix ullum, aut rarum in bello præſtant uſum, tantum inventa in gratiam otioſorum, deſidioſorum, ut vanis iſtis ſemet oblectent, tempus tranſigant, inſueti majoribus occupari. Neque enim in prælio, aut pugna luctatione certant, verùm armis, nec tam corporis robore ſuperant, quàm animi fortitudine, nec pugno, aut firmis lacertis, quàm armorum exercitio. Et quamvis hi ludi

ali-

aliquam virtutis ſpeciem præ ſe ferant, longè tamen à virtute ſunt ſemoti, nobis cum brutis communes; ut peritiam eorum profeſſi, rebus bellicis gerendis & expediundis minus ſint idonei. Id quod Alexander Magnus lepido ſatis dicto deſignavit. Cum enim Mileti multas athletarum ſtatuas vidiſſet, qui in Olympiis viciſſent. Et ubinam, inquit, tanta iſta erant corpora, quando Barbari veſtram urbem obſidebant. Plutarch. in Apopthegm.

Cap. IV.

Quid ſtatuendum ſit de nudorum certaminibus?

APud veteres exercitationum varia genera fuere frequentata, non tantum nudorum juvenum cum juvenibus, ſed etiam virginum cum

virginibus, earumque, cum adoleſcentibus, ut ita illarum corpora luctâ, curſu, reliquiſque ejus generis virilibus incitamentis, non ſecus atque marium, ad labores perferendos aptiora redderentur. Utrumque inſtitutum Graecorum Poëta Propertius deſcripſit hiſce verſibus:

Propert. Eleg. 13. libr. 3.

Multa tuæ Sparte miramur jura palæſtræ,
Sed mage virginei tot bona Gymnaſii,
Quod non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda puella viros.
Cum pila veloces fallit per brachia jactus
Increpat & verſi clavis adunca trochi.
Pulverulentaque ad extremas ſtat fœmina metas
Et patitur duro vulnera pancratio:

Nunc

Nunc ligat ad caſtum gaudentia brachia loris
Miſcile nunc diſci pondus in orbe rotat.

Quod certaminis genus vel ideo forte à Lycurgo legiſlatore inſtitutum, ut ſtirps eorum, qui gignerentur, validum in valentibus corporibus principium ſumens, bene germinaret. Vel etiam, ut ita mares conſpicati puellarum denudatarum formam, earum caperentur amore, adeoque de ineundo matrimonio, quod cælibatum Græci vituperarent, conſilium inirent. Vel denique, ut ſi qua neceſſitas cogeret, & fœminæ ad inſtar Amazonum, pro liberis, pro parentibus pro aris & focis, certare poſſent. Quidquid ſit, nemo tamen ſanæ mentis hoc inſanum Lycurgi inſtitutum probaverit. Puellas enim nudas, cum viris nudis colluctari, cum-

Vid. Plutarch. in Apopth. in Lycurgo.

cumque amatoribus ita verſari, non eſt citra infamiæ notam; & muliebris illa nuditas, quâcunque de causâ ſit inſtituta, ſemper erit reprehendenda. Quid quod nulla ſit ratio, quæ deſumpta à validâ generatione, ab incitamento ad nuptias, à patriæ defenſione. Cum etjam principium generationis in fœminis ſatis validum ſit futurum, ſi exercitiis validis, licet non ſint nudatæ vacare incæperint. Nec minorem in bello operam præſtabunt, etſi veſtitæ ſemet exerceant. Neque enim vulgare auxilium matro æ Germanæ maritis militibus teſte Cæſare præſtiterũt, utriuſque fortunæ ſociæ comites, licet nunquam inter illas exercitium nudarum fuerit admiſſum. Quod verò ſpectat conciliationes nuptiarum, dicendum illam concertationem nudam, non tam incitare ad

nuptias,

nuptias, quam ad pravas libidines, vagam ac diſſolutam venerem. Ut ſi aliud ullum exercitium, hoc maxime inviter ad delinquendum. Et ideo maxime reprehendendum, quod nullam puellarum ſinat eſſe honeſtam; cum quæ ſeſe ita nudatæ exponunt, omni caſtitate exutæ videantur. Id quod Euripides ita latine verſus ſatis indicavit. Euripid. in Androm.

- - - Neque ſi qua cupiat,
Spartiadum puellarum caſta eſſe queat
Quæ cum juvenibus deſerentes domos
Nudis cruribus, & laxis peplis
Curſus & palæſtras non tolerabiles mihi
Communes exercent.

CAP. V.

Utrum armorum exercitium licitum atque utile?

QUantum valeat armorum exercitium, quo corpus ad prælia & pugnas redditur idoneum, ſuadet ratio, eamque confirmat experientia. Exercitatio enim homines facit alacres, artus & lacertos firmat, quò tractandis armis adſuefacti, cum validiſſimis certare, cum alacribus concurrere, adeoque ſi quando uſus exiget, & opus erit, ictus inferre,&illatos avertere valeant. Ignaviâ verò membra hebeſcunt, mollia & infirma redduntur. Segnities præclaras cogitationes, quibus ad militaris gloriæ ſplendorem erigitur animus, magis magiſque obtundit.

Scilicet hominum mentes otio

otio deditæ, corrumpuntur, ſequieres fiunt, corpora redduntur languidiora. Et ut pulli equini, ni paulatim oneribus ferendis idonei reddantur, facilè delaſſantur: ita & militiæ deſtinati, ni ab ineunte ætate armis tractandis adhibeantur, poſt minus apti erunt, nec onera militibus impoſita nec moleſtias, quas ſecum trahit illud artis genus, perferre poterunt, aut pati.

Exemplo hoc ipſum teſtatum fecerunt Lacędemonii, qui quamvis pauci admodum eſſent numero, parum tamen aberat, quin univerſam Græciam ſibi ſubjeciſſent. Quod reliqui præter illos, nonniſi deſidiæ ac voluptati, ludiſque non ad uſum inſtitutis, vacarent. Nec Romani virtute ac gloriâ cæteros mortales olim anteceſſiſſent, niſi apud ipſos armorũ exercitatio floruiſſet.

Unde

Unde lecti tyrones ſub campi doctore ſeverè inſtruebantur quo ſinguli periti forent, mandata in prælio accipere, & ſi opus eſſet, etiam dare. Ut haut immerito de iiſdem fuerit dictum, quemvis militem ducis partibus, & quemvis ducem militis officio fungi potuiſſe. Quo nomine etiam nonnulli inter Romanos laudatiſſimi, quod nullum non armorum exercitium in promptu haberent. Pompejus certe Magni titulo decoratus eſt, quod pro conſueto habuerit, ſaltu cum alacribus, curſu cum velocibus, vecte cum robuſtis certare. Et de Aureliano Imperatore refertur, eum nullum diem prætermiſiſſe, in quo non ſe pilo, ſagittis, aliiſq; militaribus armis exerceret. Quo etiam potiſſimùm nomine, dum de Scipionis indole loquitur, Silius Italicus, eundem commendat,

quòd

quòd aſſiduis laboribus, ac ingenuis exercitiis occuparetur.

Ipſe inter medios venturæ ingentia laudis
Signa dabat, vibrare ſudem, tranſmittere ſaltu
Murales foſſas, undoſum frangere nando
Indutus thoraca vadum, ſpectacula tantum
Ante aciem virtutis erant, ſæpe alite plantâ
Ilia perfoſſum, & campi per aperta volantem
Ipſe pedes prævertit equum, ſæpe arduus idem
Caſtrorum ſpatium ſaxo tranſmiſit & haſtâ.

Silius Italic. l. 8.

Quamobrem apud antiquos inter Græcos laudatus Lycurgus, quod durius haberet juventutem domi, quàm foris, quod majora ſuis civibus intra muros, quam intra vallum imperaret. Et certè cum exercitus Varroni dicatur, quoniam exer-

exercitatione evadit melior, ſummo jure ac ratione exercitia militibus commendanda. Ea enim ſi probè calleant, facile eorum imperator ab hoſtibus victoriam eſt reportaturus. Sic enim referunt Attilam Gothorum Roderici filium Sueciæ regnum contra adverſarios tutatum fuiſſe, quod militari diſciplinæ, ita totum ſe traderet, ut ſuo tempore nulli ſecundus in eâ putaretur. Præſertim de exercendâ juventute Gothicâ, in omni exercitio militari continuè & prudenter cogitabat. Neque ullam peſtem in quâcunque republicâ perniciosiorem reperiri poſſe credebat, quam ſi juventutem otiari, vel corruptis imbui moribus, permittatur. Quo prudenti conſilio tandem Danos, alioſque devicit, nec ſolũ in propinquâ, ſed & longinquâ militiâ conſpicuus evaſit.

Joh. Magnus Gothor. Hiſtor. l. 2. cap. 28.

Pru-

Prudentis itaque ducis erit adoleſcentes quos laboribus bellicis ſuſtinendis olim pares eſſe velit, quàm primùm rudimentis reddere aſſuetos bellicis. Niſi enim iſtis à teneris ſint innutriti, ad duriora poſtmodum reperientur inepti. Quæ initio ſunt difficilia, ſi accedat conſuetudo; reddentur facilia; etiam tandem delectabunt. Exemplo erit Milo Croto niates, qui niſi vitulam primitus geſtaſſet, nec taurum geſtare potuiſſet. Et inter Romanos imperatores hoc nomine celebratus Caligula quod in caſtris natus eſſet & in patriis armis nutritus. Ut enim conſuetudo ſenſim ac paulatim inducenda, ne ſubita gravem in corpore efficiat mutationem: Ita etiam ab ineunte ætate, & per vices exercitia habenda, ne ſi repente adhibeantur, magnis periculis membra ſubjaceant. Mili-

Militibus autem noſtris, ut & nobilibus juvenibus ea apprime commendanda exercitia, quibus ad pedeſtre & equeſtre prælium reddantur idonei. Inter quæ præcipua ſunt, quibus ad haſtam vibrandum inſtruuntur, curſu certant, ſclopi ejaculatione ad metam, contendunt. Quibus addatur curſus equitum ad anulum, quem Galli appellant *la bague*. Potiſſimùm inſtrui poterunt ſinguli ad ficti hominis pugnam; quod exercitii genus ſuis commendavit Vegetius vetus campi doctor. Quando ſinguli tyrones deſignant palum, adverſus quem veluti adverſarium ſcuto, & clavâ, tanquam gladio, ſe quiſque exerceret; nunc quaſi caput aut faciem peteret, nunc à lateribus minaretur, interdum contenderet poplites ac crura ferire, recederet, inſultaret, inſiliret, & quaſi

Veget. l. 1. de re Milit. c. 11.

& quaſi præſentem adverſarium, ſic palum omni impetu, omnique bellandi arte tentaret. Quod exercitium tantò gratius erat, quantò magis extra diſcriminis aut periculi ullius aleam certator in hoc conſtitueretur. Quo cum fermè convenit hodiernus exercendi equites modus. Quando ſinguli utrinque è turmâ in ſe mutuò iruunt, experimentum daturi uter altero tractandis armis magis idoneus, in exonerandis ſclopis minoribus, quibus invicem petunt, celerior, iiſque exploſis, ad gladium ſtringendum ſit expeditior. Idem quod in peditibus obſervatur, qui vel ſoli, vel ſinguli in ſingulos miſſi, exercentur, quo tractandis ſclopis reddantur aptiores.

Verùm prætereunda non videtur ars laniſtica, quam Itali *Scrimiam* appellant.

Quæ

Quæ nihil aliud eſt, quam ratio ſcienter ac rite tractandi gladium. Quam artem à Publio Rutilio Conſule Cn. Manlii collegâ militibus traditam aſſerit Valerius Maximus. *Anno*, inquit; *ab urbe conditâ* IↃCLVIII, *nullius ante ſe Imperatoris exemplum ſecutus ex ludo* C. *Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum accerſitis, vitandi atque inſerendi ictus ſubtilitatem, legibus ingeneravit.* Quamquam hic diſſentiat Athenæus Deipnoſophiſta, qui hanc rudibus armis ſemet exercendi monomachiam, Hermippum Mantinatum inveniſſe, & Cyrenæos æmulos fuiſſe, ſcribit. Quicquid ſit de primis hujus artis inventoribus, id tamen certum eſt eam ſatis fuiſſe nobilitatam, idque vel eo potiſſimum nomine, quod nobiliſſimi equites & Senatores Romani viri illuſtres ei operam dederint,

Athen. Deipnoſ. libr. 4.

Sueton. in Cæſar. cap. 26. Herod. in Commodo libr. 1.

rint, quinimo in eâ tirones exercuerint. Quod amplius eſt, quandoque ipſi Imperatores ſpretâ purpurâ Imperatoriâ gladiatorum partes adimpleverint. Maximopere itaque ea militibus commendanda; ut quæ non contemnendum ſubinde pręſtat uſum. Et quamvis nonnullis videatur hic umbratilis depugnandi modus, vero officere certamini, quod metus ac periculi hominem faciat ſecurum; quaſi magis periti hujus artis, depugnandi confidant induſtriæ, quàm animo: dicendum tamen eſt, artem virtuti non incommodè adjici, hanc illi mixtam augeri, alteramque alterius ope atque auxilio juvari. Ut ita ipſa ars virtutis impetu fortior, & ipſa virtus artis additamento evadat cautior. Hoc ipſum ſingularis certaminis exemplo comprobavit ſcriptor Patavinus: in quo major

Sueton. in Nerone cap. 12.

Livius l. 26.

jor ætate Corbis, uſu armorum & aſtu, facilè rudes ac ſtolidas Orſuæ vires, qui minor erat, ſuperavit. Et ita ſæpe artis hujus peritiſſimi conſtanti quadam audaciâ, & periculorum contemptu, præclaræ virtutis ac fortitudinis experimenta, quoties fuit opus, exhibuerunt.

CAP. VI.

Utrum duella judicialia admittenda?

In fin. §. 11. Inſtit. de inutil. Stipulat. l. ult. Cod. de Probat. ibidemque Gothefred. §. Si vero vaſallus. 2. Feudor. tit.

DUo quidem ordinaria juris civilis remedia fuerunt probandi veritatem, teſtes vel inſtrumenta: quibus nonnunquam acceſſere indicia, evidentiſſima, & luce meridianâ clariora. Varia tamen etiam extraordinaria, iis deficientibus, conſuetudine poſteriori, fuere introducta, jus jurandum, & divi-

divinum judicium. Quod poſterius vel per ferrum candens, vel aquam calidam, vel per duellum, ad innocentiæ manifeſtationem adhibebatur. Ea verò, quæ per duellum fit probatio inter vulgaris probationis ſpecies jure feudorum collocatur. Fuitque ea Langobardorum conſuetudo, ut quotieſcunque deficerent probationes, partes judici per duellum fidem veri facerent. Idque ſecundum leges Langobardorum variis in caſibus obtinebat. Nam de criminibus objectis licebat ſe purgare per pugilem, quem *campionem* appellabant. Mulieri accuſatæ de ſublato per venenum marito, licebat ſe purgare vel per juramentum, vel per campionem. Qui alium cuculum vocaſſet, ſi propter hoc convicium accuſaretur, tenebatur aut negotium componere, aut per

2.§ Si ruſticus militem. 2.Feud. tit. 2. inſt. 2. Feudor. tit. 27.

l. 1. leg. Langob. tit. de Malef. & l. fi.n libr. 1. Langobard. l. fin. de Conſid. Mort. 2. Feudor. tit. 27. in init. & §. 3.

duellum probare, verum id eſſe, quod dixiſſet.

Buſius Diſp. Polit. 9. th. 21, Saxo Gramm. 5. Hiſt. Dan.

Hinc uſus ille duellorum, à Langobardis ad alios populos tranſlatus, ab iiſque approbatus fuit. In Daniâ Rex Frotho ejus nominis tertius, eam tulit legem, ut omnes lites ſingulari certamine decernerentur ac deciderentur; ſpecioſius viribus quam verbis confligendum eſſe ratus. Eandem in Moſcoviâ probandi rationem in uſu fuiſſe tradit Camerarius. Apud Ruttenos & Hungaros, ſi de causâ aliter non liqueret, idem obſervari notat Bodinus.

Camerar 2. Hor. ſubceſ. c. 19. Bodin. de Rep. l 4. p. 743.

Apud Umbricos etiam receptum, ut controverſiæ exortæ ab armatis per ſingulare certamen decidantur ac componantur; Eumque qui ſuperavit, juſtam cauſam tutatum fuiſſe, cenſent.

Boequelius diſq. de Publ. judic. 6.

Apud Alemannos duellum com-

In leg. Aleman. tit. 7. tit. 85.

committitur, &c. pro rerum controverſiâ, & pro dote allatâ repetendâ.

Olim etiam inter Anglos rationem hanc litium finiendarum per oblata duella receptam fuiſſe, tradidit Bracton vetuſtiſſimus legum Anglicanarum ſcriptor; eorumque indicendorum formam atque modum unâ operâ deſcribit. Nec etiam in totum ſublatum fuiſſe eorum uſum, ſuo tempore, deſignavit Thomas Smithius. *In deſuetudinem*, inquit, *penitus abiviſſe, nondum potui intelligere, & propterea emortuum non ſentiet eſſe, ubi quis flagitaverit.*

Bracton. de Leg. Anglic. l. 3. fol. 142.

Thom. Smith. de Rep. Angl. c. l 2. cap. 8.

In Iſlandiâ lites forenſes de prædiis, de hæreditatibus, de dotibus, nonnunquam duello deciſas fuiſſe, refert Arngrimus Jonæ. Sic ut bona controverſa victori cederent, ſine majore jacturâ bonorum victi. Et idem etiam juris erat, ſive quis ad

Arngrimus Jonæ in Rep. Iſland.

duellum poſtulatus, id recuſaſſet, ſive certando ſuccubuiſſet.

Apud Gallos olim duella permiſſa fuiſſe, colligitur ex conſtitutione Philippi Gallorum regis, de anno 1306. Quæ etiam Guido Papa in ſuis explicuit deciſionibus. Nonniſi tamen quatuor hiſce concurrentibus tolerata fuere. Primò, ſi crimen eſſe commiſſum, liqueret, licet à quo commiſſum eſſet, non conſtaret. Secundò, ſi crimen objectum alicui, ultimi ſupplicii pœnam mereretur. Tertiò, ſi ita commiſſum foret, ut alio nullo modo probari, nullâve aliâ ratione de veritate conſtare poſſet. Quartò, ſi is, qui provocaretur, & de commiſſo crimine accuſaretur, per indicia, & præſumptiones aliquot probabiles ſuſpectus haberetur, adeò ut duellum à parte accuſati, in vicem torturæ, aut quæſtionum admittere-

teretur. Formam & modum inſtruendi & indicendi talia Duella, qui ſcire volet, adeat Tholoſanum, qui omnia requiſita ſatis accuratè delineavit. Tholoſ. Syntag. jur. univerſ. libr. 48. cap. 16.

Et quamvis in caſubus jam enumeratis, non quidem adeò temerariè monomachia permiſſa videatur: modus tamen ille veritatem explorandi iniquus erat, ac conſuetudo talis peccati nutritiva. Ut quæ non tantùm, civili canonico, ſed & divino & naturali juri adverſaretur.

Et ut à poſteriori jure ordiar, quid magis eſt contra naturalem rationem, quam facinoroſum extra pœnam criminis conſtitui, innocentem puniri: quod tamen in duellis judicialibus evenire, plus quàm notum eſt? Quid magis contra omnem charitatem, quàm furiarum inſtar ad vulnera & cæ-

des

des civem in concivem ruere, idque forte, quia contentio de aliquâ, etiam minimâ bonorũ parte, quod apud nonnullos obtinuiſſe, notavi? Cum tamen natura nullam inter hominis vitam atque bona proportionem ſervari voluerit. Præterquam quod in tali certamine id deſideretur à judice, ut ſuccumbat qui fortior eſt, contra quam ſuadet natura, quæ nobis cum brutis eſt communis, & is ſuperior evadat, qui imbecillior eſt, modo cauſam juſtiorem habere judicetur.

Argum, l unic. Cod. de gladiator libr. 11, Boekel. diſq judic. 6. Bocer. de duell. c. 2.

Suffragantur & leges civiles, quibus iſte veritatem eliciendi modus omnino reprobatur. 1. Quia prohibentur omnia cruenta ſpectacula in otio civili: qualia non tantum, quæ gladiatorum, ſed etiam eorum, qui litis determinandæ gratiâ duella ſuſcipiunt.

2. Quia

2. Quia quæ duella inſtituuntur litis deciſoria, aut in cauſis levioribus admittuntur, & ſolum pecuniariis, aut gravioribus, quales ſunt cauſæ capitales. Si in illis, cum nulla ſit proportio inter vitam & bona, pœna non erit delicto proportionata. Quia ſi vel convictus fuiſſet reus, & profeſſus veritatem in ſui præjudicium, non tamen periculum vitæ ſubiiſſet; quod tamen, ſi cum alio committatur, effugere non poterit. Si in hiſce, puta capitalibus; multo minus per duella probationes ſunt admittendæ; quod illo jure in criminalibus requirantur, vel inſtrumenta, vel teſtes, vel ſaltem indicia luce meridianâ clariora. Verùm ſingulare certamen eſt modus probandi dubius, temerarius, & admodum obſcurus, eo quod eventus ſæpiſſime fallat. Nec tamen probandi modus, quà

l.ult. Cod. de Prob.

quà quidem pœna, vel tormentum. Quod probatio, ſeu modus veritatem probandi à pœnâ non differat. Nam vulnere crimen probatur, & fortè corporis aut membrorum mutilatione tantùm punietur. Cùm tamen & probatio & pœna debeant eſſe diſcreta. Quòd illa exigatur ab eo, qui incuſat, hæc à judice qui eam irrogat, & quidem incuſato irrogetur. 3. Quia diſceptatione forenſi, controverſiæ terminandæ, non armis; juris vi, non martis judicio. Neque æquum eſt, idem periculum juſtum accuſatorem ſubire, quòd ſubit, qui nocens eſt, licet fortè talis eſſe non deprehēdatur. Quinimo quod à Romanis aliiſque gentibus obſervatum fuit in publicis inimicitiis, ut priùs ad colloquium, quàm ad arma venirent, id multò magis in privatis ſimultatibus ſervandum erit.

Argum. l. exſtat. 13. D. quod met. cauſ.

erit. Secundum illud Thraſonis apud Comicum: *Conſilio omnia prius experiri, quam armis, ſapientem oportet.* Cumque judicis ſit officium, providere ne manus conſerant, quos ſuâ poteſt compeſcere juriſdictione. Id verò ſecundum leges poſſit, quòd actore non probante reus ſit abſolvendus, licet ipſe nihil præſtet; quæ iſthæc erit inſania ut præter id quod leges deſiderant, tam probationes petat è domo rei, quàm accuſatoris, id eſt, duello incerto utrumque committat. 4. Quia privati non eſt lites dirimere, aut determinare, ſed prætoris, ſed judicis. Ut iniquum ſit adverſarios contendentes, judices, & quidem per cruentum medium, in propriâ causâ conſtituere. 5. Quia quæcunque non ſpontè ſed coactè, ſed metu fiunt, rata non habet prætor. Verùm qui incuſatum eò com-

l. ſi cujus 13 §. Sed ſi. D. de Uſufr.

l. qui accuſare. 4. Cod. de Edendo.

Argum. l. quidam 21. D. de Rebus credit. tot. tit. Cod. Ne quis in ſuâ causâ judic.

pellit, ut duello ſuſcepto ſe purget, aut aliter causâ cadat, metu illum eo adigit; & quidem tali, qui etiam in virum conſtantem poſſit cadere. Ergo nec ea rata ſunt habenda, quæ ſic elicita, quæ ſic probata.

Id enim certum eſt, perplurimos reperiri, qui malint potius cauſam ſuam amiſſam, quam ut cum adversâ parte deſcenderent in certamen. Quid ſi enim qui incuſavit robuſtus ſit, & exercitatus, qui incuſatur, infirmis ſit viribus, & armis tractandis minus aptus. An non huic vel ipſa mors metuenda, etiam cum ignominiâ.

Neque diſſentiunt hic canones, in quibus duella referuntur ad vulgares purgationes, quales dicuntur eſſe explorationes per ferrum candens per aquam calidam, & quæ ſunt hujus generis plures inventiones.

nes. Quales omnes erronei probandi modi, probationibus Canonicis opponuntur. Adeoque non ſine ratione reprobantur, tanquam media, quibus Deus tentari videtur.

C. Mennam. 2. quæſt. 5. & tot. tit. de Purgat. Vulgar.

C. quæritur. 22. quæſt. 2.

Nec deſunt huic ſententiæ probationes è ſacro codice petitæ. 1. De jure quippe divino non aliæ probationes ordinariæ traditæ nobis, quam quæ fiunt, aut per teſtes, adeoque per inſtrumenta, quæ in teſtium veracitate conſiſtunt; aut per confeſſionem partis accuſatæ; vel illis deficientibus, per juſjurandum purgationis. Cũque alii modi non reperiantur expreſſi, & ex aliis textubus per rationem Scripturariam colligatur excluſa eſſe duella; ea ut illicita, & juri divino difformia cenſebuntur. 2. Quia de jure divino omnes illi modi probatorii cenſentur reprobati quibus Deum, ejuſque pro-

Argum. C. non eſt innocentiæ, 23. quæſt. 5. Deuter. 19. v. 15. Joſuæ 7. v. 19. Exod. 22. v. 7.

providentiam ſpecialem, & quidem citra ſpecialem aliquam promiſſionem, tentamus, atque provocamus. Verùm talis probandi modus eſt duellum judiciale. Ergo. Quæ enim nullis veſtigiis deprehendi à nobis poſſunt, & quorum cognitionem, ac manifeſtationem ſibi ſoli Deus reſervavit, ea per miraculum inveſtigare velle, id ipſum quid aliud eſt, quàm Deum tentare?

Matth. c. 4.

3. Quia & illa probatio de jure divino cenſetur iniqua, quâ innocens æque declaratur nocens, & punitur, atque nocens liberatur. Verùm id accidit frequenter in duello, ut innocens, quique juſtam cauſam tutatus eſt, pereat, adeóque coram judice pro nocenti habeatur, & nocens, qui cauſam iniquam propugnabat, ſuperior evadat, adeóque innocens declaretur. Hoc ipſum fatetur impe-

imperator Lotharius, licet tollere hunc probandi modum non potuerit inter Langobardos, adeò enim invaluerat. *Quia incerti ſumus de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam ſine juſtâ causâ, ſuam cauſam perdere: ſed propter conſuetudinem gentis noſtræ Langobardorum, legem impiam vetare non poſſumus.* Neque obſtat, quod dicitur: Deum eſſe juſtum judicem, veritatis amantem, malorum vindicem, bonorum remuneratorem, adeoque non eſſe permiſſurum, ut qui bonam tuetur cauſam, in tali ſuccumbat duello. Reſp. enim, Deum quidem veritatem amare, cauſæ bonæ adjumento eſſe, non tamen per illicita, & illegitima media, quibus ipſe tentatur. Præterquam quòd ſinat quandoque innocentem ſuccumbere, quòd alibi fuerit nocens deprehenſus. *Aliquando*, inquit canon, *permit-*

libr. 1. leg. Langobard. tit. de Monomach.

tit

Can. 1. de Purgat. Vulgar. *tit Deus, in iſtis duellis, innocentes in eo quo accuſantur crimine ſuccumbere & necari, propter alia eorum peccata.* Quinimo non deſunt exempla eorum, qui cum utrinque eſſent nocentes, quòd per calumniam invicem incuſaſſent, neuter tamen ſuccubuerit, ſic ut uterque periculum evaſerit. Ejus rei exemplum memorabile ſuppeditat D. Petrus Meſſie, quod accidit tempore Alphonſi Caſtellæ Regis. Quidam nobilis domi militiæq; clarus, cui nomen *Rupas de Vidima*, Regi ſignificaverat nobilem quem *Rodiges de Avila*, proditorie agere, quod in clypeo inſignia gereret Portugalliæ, cum tamen eſſet vaſallus Regis Caſtiliæ: Seque hoc ipſum vel teſtibus, vel ſingulari certamine vel alio quo probandi medio, ad quod Regis mandato obſtringeretur, demonſtraturum pollicetur. Hæc

Pierre Meſſie an les diverſes leçons &c.

ut-

ut reſcivit *Rodiges* de *Avila* qui tum temporis aberat, ad Regem litteras dedit, quibus expreſſit, opus non eſſe ut ſe aliquo reſponſo purgaret, eò quòd *Rupas* in Regem conſpiraſſet, idque ſe duello probaturum confidebat, ſi modo cũ veniâ ſuæ majeſtatis congrediendi concederetur facultas. Hæc ut Regi innotuerunt, dubius fuit, atque animi pendulus, quid in negotio tam arduo fôret agendum. Tandem deliberatione habitâ, conſultum viſum, utrumque ad ſingulare certamen admittere. Locus, tempus, more ſolito deſignatur, atque indicitur.

Concurritur utrinque magno cum ardore, atque animis imperterritis. Ac toto illo die, æquis certatur viribus, ancipiti marte, ut judicium ferri non poſſet, in quam partem fortuna ſeſe eſſet inclinatura. Adeo-

que

que noctis concubium illos ſeparavit, quos fortitudo, cum armorum peritiâ juncta, dividere non potuit. Altero die, in loco ſolito, non impar priori congreſſus conſpiciebatur. Par enim utrinque animus, par audacia, dubius cauſæ eventus. Ut ſecundâ vice noctis adventus eoſdem ab invicem divulſerit. Tertio denique die, adinſtar leonum ferocientium dimicatum eſt, & quidem majoribus, ut videbatur, quam antea viribus. Tantâque cum pertinaciâ, ne fortè & iſtius Dei anceps eſſet congreſſus, certatum, ut uterque regem in admirationem, ſpectatorum animos in ſtuporem ac commiſerationem raperet, metuentium triſtem interitum talium virorum. Tandem illis nondum defatigatis, deſideratum regi, & populo circumſtanti, veſpertinum tempus adven-

ventat; quo ſejuncti, quamvis inviti, ad regem ducuntur, qui utrumque abſolvit, Deo quaſi monſtrante, uti ajebat, innocentiam utriuſque; quòd triduanâ illâ pugnâ neuter ab altero armis eſſet ſuperatus.

4. Quia omnes illæ actiones jure divino illicitæ, quæ aut odio, aut vindictæ cupidine incitante, aut deſperatione, aut alio quo affectu inordinato peraguntur. Verùm tales ſunt duellatorum actiones: ut etiam illicitæ cenſeri debeant. Cum enim alterum eſſe nocentem, alterum innocentem, aut utrumque nocentem, aut innocentem, neceſſum ſit, quid aliud conſequetur, quàm ut qui innocens eſt, ſuper injuriâ ab adverſario ſibi illatâ, ſemet ulciſci velit; cùm tamen ultio ſoli Deo relinquenda: & qui nocens eſt, affectu pravo, imò diabolico abreptus, innocen-

tem

tem occidere conetur. 5. Quia tale inſtitutum illicitum cenſeri oportet, quod per ſe occaſionem mali ſubminiſtrat. Verùm tale inſtitutum eſt ſingulare certamen explorandæ veritatis gratiâ. Peſſimus enim, qui alteri malè velit, qui temerarius, qui fortè famæ ac vitæ pertæſus, viro innocenti, per calumniam crimen objiciet. Qui ſi ſemet per duellum purgare velit, ut deberet, niſi pro nocente haberi velit jam nanciſcetur homo peſſimus occaſionem congrediendi cum viro probo. Et ita qui alio modo coerceri debuiſſet, in illâ ſuâ injuſtitiâ quæſitum ibit gloriam. Et forte gloriabitur, ſi quod nonnunquam accidit, Deus permiſerit. Virum probũ propter alia quæ ipſius peccata, in duello ſuccumbere. 6. Quia Deus nullibi tales exigit probationes, quæ fiunt inter-

ven-

ventû ſanguinis humani, & quarum exitus, etiam ipſi victori ſunt luctuoſi. Tales autem ſunt exitus ſingulari certamine contendentium. Si enim innocens nocentem interemerit, tantum ſe innocentem probavit, & tamen per cædem humanam, in causâ, in quâ ſi ipſe convictus, fortè in mulctam quam condemnatus fuiſſet.

Quod ſi nocens innocentem necaverit, quàm non luctuoſum erit, hominem non tantum ab homine per calumniam accuſari, ſed inſuper & vita, & fama ſimul, ſaltem hominum opinione privari.

Caput VII.

An quis licitè acceptet conditionem certaminis ſingularis, ſi ſit innocens & adverſarius calumniator?

Etiamſi qui non jure incuſatur, certò perſuaſus ſit in-

injuſtè ſe condemnatum iri, quòd ejus adverſarius ſuperior in judicio ſit futurus, idque teſtibus falſis in medium prolatis: attamen exiſtumarem non licere parti innocenti duello adverſarium iniquum provocare, multò minùs per inſidias, vel occultè è medio tollere. Ratio civilis eſt, quia non eſt concedendum ſingulis, quod per magiſtratum publicè fieri poteſt, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi. Ratio Theologica eſt, quia ita videtur provocans ſemetipſum vindicare velle, atque aliquâ ratione locum iræ relinquere, contra monitum Apoſtoli. Quin imò, cùm Deus voluerit in ore duorum aut trium, quem condemnari poſſe, niſi hic ſemet innocens ſubmitteret, licet per falſos teſtes convictus in legitimo judicio, divinæ legi, ejuſque ordinationi reſiſteret. Si enim

diſſ. Ban. Rodrig. Navarr. citati apud Fragoſ. Reg. Reipubl. Chriſt. part. 1. lib. 1. diſp. 2. l. 176.

ibid. DD. D. de Regul. jur.

Rom. 12. v. 17. & ſeq.

Roman. 13. verſ. 1.

Digitized by Google

enim duris ſubeſſe cogitur, multò magis illis, qui officium ſuum uti par eſt exequuntur; quod agunt dum etiam innocentem, ſi modò ignorent eum talem, ſecundùm allegata & probata condemnant. Ut hic cogitandum ſit, etiam per falſos teſtes, nigrum calculum, id eſt, ſententiam mortis ſalvatorem noſtrum tuliſſe; nec tamen ſemet ſubduxiſſe. Idem quod de Stephano martyre Novi Teſtamenti, & Nabotho in Veteri Teſtamento, dicendum eſt.

Quinimò, is qui putat, & certò novit adverſarium eſſe calumniatorem, ne quidem debebit eundem provocantem ſequi. Sic enim publicum orietur ſcandalum, ſic multa incommoda ſubſequerentur. Pręterquam quod in partes Dei, in partes Magiſtratuum invocaret: inſuper ſe mortis periculo

culo ſubjiceret; idque citra neceſſitatem: Deum tentet, remedium quoddam extraordinarium probandæ veritatis adhibendo, in quo etiam ipſe, niſi miraculoſum Dei auxilium ſperet, licet innocens, tam quàm adverſarius perire poſſet. Denique de Dei providentiâ, & auxilio deſperet, quaſi non ille huic malo remedium adferre valeat, adeoque efficere, ut tandem innocentia probi hominis fiat conſpicua, ad inſtar lucis meridianæ.

Multò minùs parti innocenti permiſſum erit, acceptare duellum, ſi aliter fortè jacturam aliquam honoris, aut bonorum in notabili quantitate evadere nequeat. Ratio 1. eſt. Quia non æquum eſt, vitam, ne dicam quandoque animam periculo exponi, propter periculum jacturæ bonorum, aut etiam honoris, ſaltem in opinione

nione hominum. 2. Quia ſi forte adverſarium interemerit, peccabit, qui vitam & bona inter ſe æquaverit, cum nulla ſit proportio inter bona & vitam hominis, ut poſtmodum prolixe demonſtrabitur. 3. Quia præſtat quem habere mentem recti conſciam, ut parum curanda opinio famæ apud homines, quam turbatam & commotam conſcientiam, propter necem alicui illatam.

Negari tamen non poterit, quin recte qui innocens eſt, duellum ſuſcipiat, ab adverſario calumniatore oblatum, modo ad id à judice cogatur, aliter morte ignominioſâ afficiendus. Hâc tamen adhibitâ cautelâ, ne tam ad vindictam cum iniquo congrediatur adverſario, quàm ad defenſionem, cujus modus illi à judice præſcriptus erat. Cum enim

nullum parti innocenti ſuperſit remedium, tale duellum, vera erit defenſio, & conſequenter contra provocantem ut iniquum invaſorem licita. Ubi enim iniqua eſt offenſio, ibi regulariter defenſio eſt permiſſa, & licita. Ut ſemetipſum tueatur per calumniam accuſatus, adverſus vim ab iniquo illatam accuſatore. Præſertim cum innocens non reſiſtat ordinationi divinæ, de obediendo magiſtratui, ſed pareat, nec hâc ratione involet in officium magiſtratus, ut qui ei conceſſit licentiam ſemet defendendi. Quaſi eum eligat in juſtitiæ miniſtrum, ut accuſatorem, quem per calumniam accuſaſſe dicit, occidat, ſaltem adverſus eum ſe tueatur, niſi nocens haberi velit. Quicquid ſit, licet magiſtratus ille peccet, qui incuſatum ad duellum compulit, ac coëgit, quod eum con-

condemnare debuiſſet, ſi nocentem deprehendiſſet, aut abſolvere, ſi innocentem : non tamen peccat ille qui cum innocens eſſet, ad eam innocentiam probandam, id agere cogitur, quod omnes leges, omnia jura permittunt; ut utatur moderamine inculpatę tutelæ, vim & injuriam propulſando.

Cap. VIII.

Inquiritur in duella ex quibus belli aut prælii futuri deſumitur præjudicium.

FUturi temporis exitum, ut quondam poeta cecinit caliginoſa nocte premit Deus. Id eſt, quę quondam eventura, ea Rector univerſi homines latere voluit, eorumque effugere cognitionem. Nam quæ poſt annorum ſeriem poſt ſe-

ſecula evenient, veluti ex magno loci intervallo, ab eo ſolo prævidentur, cujus pupuli inconniventes non ſolum longe diſſita circumquaque conſpiciunt, verùm etiam maximè occulta cordis cogitata intuentur. Ea tamen eſt mortalium curioſitas, ut avidè & anxiè in illa inquirant, quorum contemplationem ſibi reſervatam voluit, providentiæ Parens. Et quia ea ſcrutari hominibus eſt denegatum, ideo per obliquum id quærunt, quod rectâ viâ non valent aſſequi. Unde ſoliti in multis caſubus, ad caſualia & fortuita recurrere, ex iiſque de futuris contingentibus facere indicium ac judicium. Vel avium commiſſiones in bonam aut malam partem trahentur, modo ſingulis partes ſint aſſignatæ. Alii tauros adverſus leones incitabunt ut de futuri belli eventu, certi quid

quid prædicant. Et ne ad antiqua recurrã, patrum noſtrorum memoriâ ab Epiſcopo Colonienſi tale editum ſpectaculum; cum primitus Fœderatæ Provinciæ Belgarum excuſſo Hiſpaniæ jugo, auſpiciis Wilhelmi Arauſionenſiũ Principis, ſeſe in priſtinam vindicarent *libertatem.* Volebat enim *ſeculo* ſuperiori experiri Epiſcopus, qui Hiſpano favebat, uter victor eſſet futurus, Hiſpanus, an Provinciæ Belgarum. Leoni itaque partes Hiſpaniæ aſſignatæ, Tauro Provinciarum Belgii. Quid accidit, in principio cum Taurus ſuperior exiſteret ac metueretur Leoni, mutatis vicibus, ut ita in Belgas malum omen transferretur, Leoni Belgium aſſignatum, Tauro Hiſpania. Aſt Leo ferociens, reſumptis viribus Taurum invaſit, ac ſubegit. Atque ita

Reid. Annal. 1. p. mihi 7.

quod in omen tractum, eventu fuit comprobatum. Licet autem nonnunquam tali omini reſpondeat effectus; numine divino, negotium ita dirigente: cenſerem tamen, nihil certi ex animantium brutorum commiſſionibus prędici poſſe, aut debere, niſi quis ſpiritum Propheticum ſe habere, certò comprobet.

Non itidem, uti alii volunt, ex eventu duellatorum, in conſpectu exercitus utrinque dimicantium, quicquam de belli aleâ ominari licebit, niſi & hic nos certos reddat, vel divina quæ promiſſio, vel infallibilis prædictio. Olim tamen hoc à Germanis obſervari ſolitum fuiſſe, refert Annalium Scriptor; qui adeo ad talia omina attenti fuerunt, ut ſæpiſſime ante prælium aut pugnam, cum quopiam ex hoſtium numero congrederentur,

Digitized by Google

tur, ut ita ex eo congreſſu, futuros eventus certò prædicerent. *Ejus gentis cum quâ bellum eſt, captivum quoquo modo interceptũ cum electo popularium ſuorum, patriis quemque armis committunt. Victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur.* Id eſt, ſecundum Rævardum, *pro præjudicato*. Fuit & olim hoc genus certaminis Græcis familiare, Imprimis quando res arduas aggredi volebant. Quod etiam ſuo comprobavit exemplo Magnus ille Alexander, qui dimicaturus cum Perſarum Rege Dario, duos produxit milites, quorum alter ſuam perſonam ſuſtineret, alter Darii; quâ perſonâ devictâ, quæ pro partibus ſtabat Darii, actutum decrevit bellum, ratus ſe quoque Darii fore victorem.

Tacitus de Moribus Germanor. Rævard. Præjud. libr. 1. c. 1.

Plutarchus in vitâ Alexandri.

Si tamen res ipſa penitius examinanda veniat, dicendum videtur, hoc genus certaminis

præliminaris eſſe improbandum. Partim propter rationes, contra duella ſuſcepta, judicii gratia, allegatas; partim quia fallax ex eo ſumitur præjudicium, quod caſualem ſortitur eventum. Nonnunquã enim belli victoria ſtetit à partibus ejus, qui in priori certamine ſuccubuerat. Et vice versâ, receſſit nonnunquã ſuperatus, qui in duello tentaminis gratiâ adhibito, victoriæ palmam reportaverat. Ut inepti atque iniqui ſint arbitratores, qui dubium Martis eventum, ſuper duelli aleâ conſtitutum eſſe volunt.

Cap. IX.

Quid ſtatuendum de certamine duorum ultimo ſupplicio juſtè addictorum?

NOn quicquid publicâ ſuadente Auctoritate committ-

mittitur, ſemper juſtum eſſe cenſebitur. Nec quod fit lege permittente, tutum quem reddit in conſcientia, etiamſi ſit extra legis pœnam. Vnde quęſitum, utrum judici liceat reos condemnatos cogere, ut ſingulari certamine contendentes invicem conficiant? Reſpondeo quod non, neque enim in judicis arbitrio ſitum eſt nocentem quomodocunque libuerit, punire. Et quia reus condemnatus, tantum tenetur pœnam quam meretur ejus delictum perferre ac pati, ut juſtitiæ vindicativæ fiat ſatis; non verò alium quem affligere. Et quia afflicto non eſt ſuperaddenda afflictio; quæ tum ſuperadditur, cum vel invitus ad aliquid agendum cogitur, ut tamen non ipſe, ſed alius lædatur; vel fortè duriori mortis genere, quàm fuiſſet periturus, ſi per carnificis funeſtam

l.48 ſ. in contrarium. D. Acquir. domin. Anton. Queſt. Conſil. 61. n. 5. & 6.

Grot. de jur. belli & Pac. l. 2, c. 1. num. 14.

manum ei vita fuiſſet adempta, afficitur. Et quia hoc ſupplicii genere pœná delicto nullâ ratione poteſt dici proportionata. Finge enim, quod crucem reus ſit meritus, unam mortem, non plures, ſic jam loquar. Et tamen ſi cum adverſario nocente armis contendat, quotiens ictus metuit adverſarii, fortè eo robuſtioris, aut exercitatioris, toties necem ſibi inferri credet. Inſuper non ſemper vulnere inflicto ſuccumbet, neque enim omnia lethalia, addendum igitur & alterum, & tertium, & quartum, adeoque ictus repetendi. Quæ verò non inferebant mortem vulnera, ſuperant delictum, ut immerenti hæc infligantur. Solum igitur illud unicum meritò patitur, quod mortem accelerat, quæ niſi paulò poſt ſubſequatur, quod intermediũ tempus,

in

in quo vulneris dolorem ac cruciatum ſuſtinet, ejus pœná aggravat, ut graviorem, quàm meritus, luat. Et quia judex cruentum nimium, & ab omni humanitate alienum exhibet ſpectaculum. Nec tam pœnam irrogat, in exemplum, ut alii ſimilia auſuri deterreantur, quàm quidem ad pompam, & oſtentationem, quaſi ſpectacula quæ veterum gladiatorum ad uſum revocare voluerit.

Multò magis illicitum erit tale certamen, in quo qui victor erit, impunitus evadet. Et quia fieri poteſt, (dubium enim hoc certamē eſt), ut qui minùs nocens, ſaltem mitiorem meritus erat pœnam, interficiatur, ac magis nocens ab ultimo ſupplicio liberetur; quod nonnunquā accidiſſe, exemplis demonſtrari poſſet. Et quia ſi uterque æquè nocens, judex iniquus cenſetur, qui jubet ex æquo

nocentes, non æqualem pœnam ſubire; quia inæqualibus conditionibus decertare coguntur. Alter enim altero aut robuſtior erit, aut animoſior, aut exercitatior, eaque ratione prævalebit. Et quia hæc eſt injuſtitia judicis, ſi nocentem impunitum dimittat, præſertim eum, cujus crimen indubitanter ultimum ſupplicium merebatur. Aſt dixeris, jam ultimo ſupplicio erat addictus verum evaſit. Aſt regeram, ſi fuiſſet mortis pœnâ afficiendus, jam non evaſiſſet. Præterquam quod in causâ in quâ nocens mortis reus eſt, judici non liceat illum mortis tantum periculo, ſed morti adjudicare, & quidem non caſuali, aut fortuitæ, verùm certæ; ut non ante cenſeatur eſſe criminis vindicta, aut læſæ reipublicæ reparatio, quam ſi mors ipſa ſubſequatur. Quod optimâ

Argum. l. ſervus. 10. & l. ſi operum. 14. Cod. de Pœn. & l. acta. 45. §. 1. D. Re judicat. Jul. Clar. § fin. num. 98. Cagnol. in l. ſavorabiliores. 148. num. 11. D. Reg. jur.

Digitized by Google

mâ ratione Doctores juris ſervarunt, in caſu, quo fur rupto laqueo decidit. Quia enim morte, quam merebatur non eſt affectus, iterum ſuſpendendum eum judicant, donec laqueo vitam finiverit. Gomeſ. 3. variar. cap. 13. num. 27.

Ut verò tale duellum illicitum cenſetur ex parte judicis, id injungentis, ita etiam cenſebitur illicitum ex parte pugnantium. Et quia qui reus eſt mortis quam meritus eſt, pati tenetur, ut ultimo ſupplicio afficiatur, non ut ſemet adverſus alium fortè innocentem tueatur. Multo minus, ſi alter tanquam juſtitiæ miniſter ſit conſtitutus, uti volunt caſuiſtæ. Qui enim reſiſtit juſtitiæ miniſtro, pœnam expoſcenti, reſiſtit divinæ ordinationi, publicam violat poteſtatem, eique vim infert. Quod omni jure prohibitum. Et quia iniquum eſt reum ſibi procurare reme- Boccr. claſſ. 3. diſp. 1. th 94. Rom. 13. v. 1

remedium evadendi, per alterius mortem immediate, forte necando commentarienſem, carcerum cuſtodem. Ut & iniquum cenſeri debeat, ſi per alterius mortem, ſibi quærat immunitatem. Aliud quid eſt, ſi carcerem forte effringat, aut è carcere fugiat, quem apertum invenit, quod nemini per ſe faciat injuriam, nec publica poteſtas lædatur, ut quæ non conſiſtit in muris aut vinculis. Et quia partes hâc ratione ſibi invicem ſuggerunt peccandi anſam atque occaſionem, quæ conjuncta cum animæ periculo. Ira etenim & odio in ſe mutuo concitantur, affectubus abripiuntur, adeo ut ſe committi cenſeant non miniſtris juſtitiæ, verum hoſtium infenſiſſimo; quem ſi pravo impetu occiderint, quid aliud metuendum, niſi pœnituerint, quàm animæ periculum.

Zoeſ. D. de Cuſtod. & Exhibit. Reor. n. 21. 22. 23. & ſeq.

Ne-

Neque obſtat illud Azorii. Reus mortis juſtè damnari poteſt, ut fame pereat, igitur etiam non injuſtè damnatur ut cum altero depugnet. Reſp. diverſam eſſe rationem. Qui fame necatur, patitur, eique vitę ſubſidia denegantur. Qui cum altero congreditur agit, ictum infert, ſalutem quærit per necem alterius, quem ut juſtitiæ miniſtrum intuetur. Quod eſt proxime & immediate publicum miniſterium violare. Azor. Inſtit. Moral. part. c. lib. 2. cap. 5.

Cap. X.

Quid ſtatuendum de Duello utilitatis publicæ gratiâ ſuſcepto?

NOn aliter atque fortitudo citra juſtitiam eſt culpabilis, ita ſi cum judicio rectæ rationis ſit conjuncta, laude digna cenſebitur. Et quidem ea quam maxime, quæ patriæ amo-

amore, exercetur, illius defendendi gratia, majoriſque mali & quidem imminentis avertendi. In tantum etiam, ut dulce ac decorum habeatur pro Patriæ ſalute & incolumitate mortis periculum intrepidè ſubire; cui dulciſſimè vitam & omnia jure debemus. Ut ſingulare certamen in Patriæ commodum atque emolumentum ſuſceptum, ſub limitatione poſtmodum explicandâ, non tantum licitum ſit, verùm inſuper glorioſum. Tale fuit certamen Manlii Torquati, ita appellati, à devicto hoſte Gallo, cui torquem detraxerat.

Argum. l. 2. & 3. D de juſt. & jur.

Horatiorum ac Curiatiorum fratrum inter Romanos & Albanos, ſuper jure ſuperioritatis ac dominii.

Livius hiſtor. l. 23. Livius l. 1 Valer. Maxim. libr. 6. c. 3. Virgil. Æneid. 12.

Et ſuadet hoc genus certaminis inſtinctus ac ratio naturæ, ſecundum quam unumquod-

quodque reipublicæ membrum pro aris & focis ſtare tenetur, & bona, parentes, liberos, conjugem, patriam tueri, ejuſque ſecuritatem redemptam cupere, etiam cum ſui ipſius internecione. Hoc ipſum paſſim collaudat jus civile. Qui enim pro patriâ moritur, in perpetuum per gloriam vivere creditur. Qui ſupervivit, honoribus ac pręmiis, quæ meritus eſt afficiendus. Quinimo non tantum licitum, aut liberè relictum, pro patriâ ſic decertare, ſed etiam ſi occaſio ſuadeat, omnino neceſſarium cenſebitur.

Inſt. in ſtit. Excuſ. Futor.

l. 35 *D.* de Religioſ. & ſumpt. Gloſſ. in l. velut. 2. D. de juſtit. & jur. & in l. fallaciter. Cod. de Abolit.

Quo nomine hiſtoriis proditum exemplum mulieris Lacenæ, quæ cum accepiſſet filium ignavo erga patriam fuiſſe animo, domum reverſum occidit, ejuſque ſepulchro hoſce verſus inſcribi curavit: *Hunc timidum mater Damatrion ipſa peremit.*

Valer. Max. libr. 2. cap. 7.

Nec

Nec dignum matre, nec Lacedamonio.

Conſentiunt hîc etiam canones, qui multis in locis, defenſionem patriæ, ut & aliorum, in genere commendant.

c. qui poteſt c ab Imperatoribus. c. fortitudo. 23. quæſt. 3. & c. ſi nullam. c. omnium. 23. quæſt. 5.

Neque ſacra paginâ contrariatur, quæ exemplo Goliathi ac Davidis pro incolumitate Iſraëlitici exercitus dimicantis, demonſtrare voluit, additâ formâ & modo indicendi duelli, talem monomachiam, bono publico ſuſceptam, illicitam non eſſe. Neque enim in tali genere certaminis ullum eſt delictum aut peccatum. Suſcipitur auctoritate publicâ ſic diſponente, aut permittente. Aggreditur qui decertat, communem reipublicæ hoſtem ex condicto. Quem ut licitè interimit, ita non aggreditur privatæ causâ vindictæ, ſed publicæ gratiâ utilitatis.

1. Sam. 17.

Hoc tamen adhibito tempera-

peramento tale duellum approbandum videtur, ſi reſpublica legitimum bellum gerat, ſi ſatis virium non habeat, ut hoſti potenti reſiſtat, reſque ſit deſperata, niſi tale duellum ſuſcipiatur, in quo ea reſpublica ſuperior cenſebitur, cujus propugnator victoriam reportaverit. Exemplum hujus illuſtre occurrit in hiſtoriis Gothorum Suenonumque. Cum enim Gramus Danorum Rex Scariæ Gothorum Regis potentiam formidaret, adeo ut eum ſuperari non poſſe, crederet, à ſingulari certamine præſidium opportunum mutuari conſtituit; in quo Gothorum rege interfecto rem Sueciæ nutantem fecit, ac ferè deſperatam.

Azor. Inſtit. Moral. part. 3. libr. 2. cap. 5.

Johan. Magnus Goth. Hiſtor. libr. 11.

Neque obſtat, quod non videatur tantum negotium collocandum eſſe in capite unius. Quia non aliter hoc duellum

admittendum cenſeo, niſi quando res eſt deſperata, quando nullum aliud victoriæ potiundæ ſupereſt remedium. Ut præſtet eam facere ancipitem in vitâ & morte unius, quàm deſperatam in congreſſu, & exitio totius exercitus. Verùm, inquit Martyr alibi, deſperandum non eſt, adhibenda media, & directio Deo committenda. Verùm regero, media licita adhibentur, per quæ judicamus nos commodius & melius adepturos finem deſideratum. Et quia in aliis remediis nullum eſt præſidium, in hoc verò adhuc aliqua ſpes, ideo potius aliis neglectis, hoc, ut tutiſſimum adhibebimus. Præterquam quod ſi nulla ſpes ſupereſſet victoriæ, aut vix ulla, ſi cum exercitu dimicandum foret, quæ tamen ſupereſt, ſi duorum congreſſus inſtituatur, & tamen quis velit adver-

Digitized by Google

ſis mediis certare, Deum tentare diceretur, adeoque miraculoſum quem exitum, & eventum ſperare. Etſi enim æque Deo poſſibile, & facile, per paucos, quàm per plures quem liberare, quod accidit cum Jonathan comite armigero Philiſteos invaſit: quia tamen ad miracula confugiendum non eſt, ſed ad ordinaria media, facilius erit æqualè ab æquali ſuperari, quàm robuſtum ab imbecilliori, aut plurimos, à pauciſſimis. Adeo ut ſi ratione prudenti omnes circumſtantiæ examinentur, tutius ſit cauſam belli ſingulari certamini committere.

Et certè ſi multis licet adverſus multos pugnare, quid ni & uni adverſus unum; ubique enim eadem juſtitiæ cauſa, ſi modò ducis adſit auctoritas & juſſus, quem omnino hic deſidero.

Præ-

Præſertim cum præſtet unum perire, quàm exercitum univerſum funditus deleri: aut unum periculo ſubjici, ut à ruìnâ exercitus liberetur. Et certe Chriſtianum eſt, quam minimâ ſanguinis effuſione, redemptam velle victoriam, libertatem; quod eveniet, ſi ſingulari congreſſui detur locus.

Quinimo id incumbit officio Principis qui viribus ac copiis impar eſt, ut ſuis conſulat, ac minori malo majus avertat. Id vero facit, quando hujuſmodi conflictum inſtituit, qui pars eſt juſti belli, ex parte Principis laudanda, quo caſus dubius in ſpem transferatur victoriæ.

Exémpla inſignia dabunt hiſtoriæ Gothorum Suenonumque. Attilus Suecorum rex in Dániâ occurrit Frontino Danici exercitus præfecto, innumeris copiis ſtipato. Fit diu-

turna

turna & atrox pugna, nec certamen remiſſius, quam ſi pro ſummo honore ac gloriâ gentis utriuſque ageretur. Incrudeſcente vero prælio, forte agminum duces invicem occurrunt, ferroque ita inter ſe concurrunt, ut libenter publicum bellum, in ſingulare certamen commutarent, quo victoria paucorum ſanguine, imo vel alterutrius ducis, toti exercitui parta foret. Signo itaque regreſſus dato, uterque exercitus à pugnâ ceſſavit. Deſcribitur circus, deſcendunt in certamen exercituum pręfecti, paribus armis & animis. Lex ſingulari congreſſui adjicitur, ut ſi Frontinus vincat, libera ſit à Suenonibus Dania; ſi victoriam reportaverit Attilus, Dania Suecis tributum pendat, & ſe victam fateatur. Quo evenit, ut crebreſcentibus utrinque vulneribus, Attilus armis

Johan. Magn. l. 4. Hiſtor. Gothic.

armis ſuperior, proſtrato Frontino privatæ victoriæ, publicam adjungeret, paſſimque divulſa Danorum agmina profligaret.

Sic itidem Ericus exercitus Norwegiani dux exercitatiſſimus cum Alarico Suenonum Rege duellum ſuſcipit. Et qui certâ clade affectus fuiſſet, ſi exercitus certamine pugna confecta fuiſſet, ille victoriam retulit, dum forté privato congreſſui dabatur locus. Prodeunt enim in circum Alaricus & Ericus, acerrimè & infenſiſſimè utrinque depugnantes. Et quamvis corporum robore ac militari diſciplinâ viſi ſint æquè pares, adeo ut uterque graviſſimis plagis affectus in circo corruerit moribundus: certaminis tamen ſingularis fortuna, quæ Alaricum è vivis confeſtim abſtulit, Ericum ægrè curatum vitæ reſtituit,

Go-

Gothiſque victoriam reddidit deſperatam.

Cap. XI.

Duella privata, ab hoſtibus oblata, num accipienda?

QUæ ratio eſt belli, ſeu plurium in plures, ea itidem ratio eſt ſingulorum in ſingulos. Et quemadmodum bellum illegitimum cenſetur, quod vel ob nullam, vel ob leviſſimam cauſam ſuſcipitur: ita etiam ſingularis congreſſus illicitus, ſi ejus ineundi non juſta ſubſit ratio.

Unde ſi utriuſque exercitus electus miles, aut milites deſcendant in certamen idque vel voluptatis vel virium explorandarum gratia, congreſſus tales illiciti cenſeri debebunt. Quales omnes, de quibus Diodorus Siculus, qui re- Diodor. Sicul. Hiſtor. l. 5.

fert Gallos ſolitos inſtitutâ acie procurrere, & optimum quemque ex adverſariis ad ſingulare certamen provocare. Cujus etiam certaminis exemplum occurrit in ſacrâ paginâ, inter Joabi & Abneri milites, miſſis utrinque duodecim. Ratio eſt, quia hic finis adhibetur non bonus, oblectatio, & vana quæ gloria; cujus gratia non oportet humanum ſanguinem effundere. Præterquam quod hic etiã deſit finis univerſalis, quem deſideramus: ſcilicet ut congreſſus ille tendat ad publicum bonum, ut hoſtium copiæ damno quo afficiantur. Verum nemo dixerit congreſſubus paucorum utrinque bonum reipublicæ aut exercitus promoveri, aut hoſtium vires frangi vel debilitari. Ut in totum illi concurſus damnandi ſint.

2. Sam. 2. v. 14. 15. & ſeq.

Can. 1. de Torneam.

Poterunt nihilominus non-

nun-

nunquam hujuſmodi conflictus particulares inſtitui, ut bonam famam in exercitu hoſtili conſervent noſtri milites. Ratio eſt, quia fama plus ſæpe timoris incutit hoſti, quam res aut ratio ipſa. Prævia enim de Regis fortitudine, ejuſque militibus opinio, multum poteſt in exercitu hoſtili. Cum niſi quandoque acceptentur oblata illa duella, hoſtes fiant audaciores, dum exiſtumant, noſtros milites aut præ timore, hujuſmodi conflictus metuere, aut quod numero deſtituantur detrectare. Ita in obſidione Daventrienſi, eques nobilis Albanus à partibus Hiſpanorum quemque ex noſtris militibus ad ſingulare certamen provocavit, vetante Principe Mauritio, ne quiſpiam cum eo congrederetur. Licentiam nihilominus multis precibus impetravit, nobilis Ludovicus

Herod. libr. 1. in Orat. Commodi.

Meteran. libr. 16. hiſtor. p. mihi. 317.

à Cathulle, filius domini de Ryhoven à Gent. Lancearia primum inſtituitur decurſio, verum cum nihil eâ proficeretur, gladiis certatur; ac tandem eques Albanus manu truncatus, & ſuperatus, ſuæ temeritatis dedit pœnas. Cui exemplo haud diſſimile alterum duellum initum inter Thomam Albanum centurionem, & optionem turmæ equitum D.Norwits, qui in locum ſui præfecti, certis legibus ſe ſtitit. Certatum igitur in conſpectu utriuſque exercitus, lanceis ac gladiis, obſidibus utrinque datis. Quinimo ſatis diu pugnatum fuit æquo marte, illæſo utroque, donec tandem ſecundum leges certamini præſcriptas dirempti, poculo invicem propinato, diſceſſerint.

Idem Hiſtor. libr. 10. fol. mihi. 191.

Ad quod certaminis genus an merito referatur conflictus

prope

prope Sylvamducis initus, inter Generoſiſſimum Dominum de Breautè, & Leckerbeëtjen, vix auſim affirmare. Poterunt quibus vacat, hâc de re conſulere judicium Meterani in ſuâ hiſtoriâ. Meteran. libr. 22. p. mihi 444.

Tendunt itaque nonnunquam duella ad exercitus utilitatem quia victoria facilius obtinetur, alacritas creſcit & augetur, dum paucorum fortitudo, ſpem facit victoriç. Quod enim in ſingulis obtinuit, idem in univerſis ſperatur, ſervatâ quâ proportione. Ita ſoliti milites Chriſtiani, in limitaneis Hungariæ locis, cum Turcarum militibus concurrere, facta duelli indictione, & genere armorum.

Quinimo nonnunquam dux exercitus ab hoſte ad certamen provocatus, ſe ſiſtere poterit, & ut publico honori conſulat, & ut parcat ſanguini ſuorum. Xenoph. libr. Exped. Cyri, p. mihi, 100.

Ita Carolus rex Neapolis Petrum Aragoniæ Regem ſingulari pugnâ provocavit; Thomas Epirotarum dux Johannem Noritium Angelorum ducem; quemadmodum olim Turnum Æneas, quem etiam poſtmodum vicit atque interemit. Et magnus Alexander ad Granicam pugnam Spitrobatem Joniæ præfectum, ſingulari certamine occidit.

Adhibita tamen cautela, Dux aut imperator exercitus ſeſe ſiſtet, id eſt non facile, aut temere. Verum nonniſi urgente publicâ honeſtate aut gloriâ. Ne ſi forte occubuerit, exercitus animum deſpondeat. Proinde prudenter egit Carolus 5. (licet alii hic aliter ſcribant, & judicent) quod Franciſcum Galliarum regem provocantem non fuerit ſecutus. Imitatus in eo Cæſarem Auguſtum, qui ab Antonio provocatus,

catus, claſſe quam ſingulari certamine congredi maluit. Ut & Selymum Imperatorem Turcarum, qui propter exercitus diſſenſionem, congredi cum frate Amurathe, renuebat.

Caput XII.

Utrum patrem patriæ proditorem liceat occidere?

PRivata Perſona publicam devotionem vindicat, & quiſque in perduellem miles eſt. Unde à veteribus & modernis queſtio movetur, utrum filius patrem & quidem perduellem licite occidat? Reſp. quamvis negativam ſententiam plurimi amplectantur & juriſconſulti & caſuiſtæ; eaque forte ſi ſecundum affectum loquamur, ſit approbanda; ſi tamen rem rectâ putemus viâ, dicen-

diff. Clarus in §. Homicidium. num. 59. Menoch. de Arbitr. judic. quæſt. libr 1. quæſt. 90 num. 43. Georgius Acacius Enck de Privil. Parent. & liberorum privil. 2. c. 2.

dicendum, aliquem caſum dari poſſe, quo tuto filio liceat patrem occidere. Quid ſi enim Parens cauſæ Dei ſit proditor hoſtis infenſiſſimus, in Principẽ inſurgat, eumque ſit occiſurus, contracto agmine hoſtili veniat oppugnandum patriam? Sic ut de causâ Dei, de bono publico, de Perſonâ Principis actum eſſet, niſi filius tempeſtive hoc remedii, quod tantum ſupereſt, parer, ut patrem è medio tollat? An non tuto & licitè, & in conſcientiâ patrem occiderit filius. Ita dicendum videbitur, idque de jure civili, & feudali, ut & divino.

Quod ſpectat jus civile, certum eſt, Deo ac patriæ magis eſſe parendum, quam patri. Prima enim cauſa Dei eſt, & quidem maxima, quæ pro religione militat. Altera eſt patriæ, in quâ vitam accepimus, cujus ſervandæ gratiâ, non ſolum

caſ. 14. Gilhauſ. Arbor. crimin. cap. 2. tit 12. art. 43. & alii citati à Berlichio concluſ. 12. part. 4. artic. 16. 17. Bartol. in l. ſi adulterium. 38. §. liberta. D. Ad l. Jul. Adult. Wiſſenb. diſp. 23. P. th. 24. l. 2. D. de Juſt. & jur. l. 43. in fin. D. de Relig. & ſumpt l. poſtliminium. §. filius quoq; D. de captiv. & Poſtlim. vid. Menoch. l. Arbitr. q. 90. n. 43.

lum dulce eſt mori, ſed etiam glorioſum. Dein cum Principi, cum patriæ major debeatur obedientia quam patri, magis illius, quam hujus curanda defenſio. Ut ſi illa obtineri non poſſit, ſine patris offenſione, potius ratio ſuadeat, hunc offendi, quam Principem aut patriam non defendi. Quinimo cum juri publico, cedat jus privatum, & reſiſtere pater jure patriæ poteſtatis non poſſit, quo minus filius patriæ obſequatur; ea certe patris commodis erit anteponenda.

Unde etiam major intercedit obligatio, major nexus inter ſubditum & patriam, cui naſcimur, quam inter filium & patrem. Longe enim ſtrictiori vinculo & altiori debito, pars obſtringitur toti, quam effectus ſuæ cauſæ. Eſt autem civis pars republicæ, in quantum ipſa eſt univerſitas, cujus ſub-

Alber. de Roſat. in l. 3. D. de Juſt. & jur. Chaſſ. Catal. Glor. Mūd. parte 5. conſ. 24. n. 17. l. Honor. 14. §. Plebei. 4. D. de Mun. & Honor. Acacius Enenck. Baro de Privil. Parent. & liber. Privil. 2. n. 21. Jacob. Middend. quæſt. Theol. Pol. p. mihi 167. l. 1. §. 15. D: de ventr. in poſſeſſ. mitt. Leſſ. de Juſt. & jur. lib. 2. c. 1. dubit. 3.

libr. 2. cap. 1. dubit. 3. ditus eſt membrum, & filius eſt effectus parentis, à quo tanquam à causâ ortum ducit. Ut quiſque merito reipublicæ commodum, parenti, & vitæ, prætulerit.

Cumque parens licite filium occidat patriæ proditorem, quid ni ex naturâ correlativorum ſaltem in caſu propoſito idem filio liceret in patrem. Ita foribus templi occluſis Pauſaniam proditorem Mater fame necare voluit, ut idem videatur filio licitum fuiſſe. Præſertim cum tanta videatur crudelitas, patrem in filium ſævire, quam vice verſa; ut qui in propria viſcera ſævire dicatur.

Sed hæc ſententia ſecundum Marcellum dubium non habet, qui ita de majorum inſtitutis. *Minime majores lugendum putaverunt, eum, qui ad patriam delendam, & parentes & liberos interficiendos venerit. Quem ſi filius patrem,*

l. minime 35. D. de Religioſ. & ſumpt. & Bartol. ibid.

patrem, aut pater filium occidiſſet, ſine ſcelere, etiam præmio adficiendum conſtituerunt.

Varia autem ex jure civili à Doctoribus pro contrariâ ſententiâ adducuntur. Et quidem 1. objicitur jus novellarum. *Et ſi pater legum contemptor, & impius ſit, eſt tamen pater.* Reſp. 1. loquitur Imperator de alimentis, non denegandis patri, quam diu ſuperſtes eſt, idque ex bonis filio adjudicatis, propter crimen patris. Quæ tamen bona, ſi liberi non fuiſſent, fiſcus deportato patre ſibi vindicaſſet. 2. Alimenta quidem patri dicuntur præſtanda, ſi legum ſit contemtor, ſi impius, ſi nefarias & inceſtuoſas nuptias contraxiſſet, de quibus ſceleribus Imperator agit, quando parentem impium & legum contemptorem appellat: nam dicitur in. d. novellâ pater *amare contra leges, agere*

Novell. 12. cap. 2.

d. Novell. cap. 1.

quæ impia & ſceleſta ſunt: Non verò ea trahenda ad maximum & graviſſimum crimen, quale eſt majeſtatis, & perduellionis.

l. final. in init. Cod. de Curator. furioſ.

2. Objicitur. Amor paternus & affectus tantus eſt, ut à nullo ſuperetur: ergo nunquam ille exuendus erit. Reſp. 1. Imperator Juſtinianus, illâ conſtitutione tantùm indicare voluit, parentes intime ſuos liberos amare, neque ullum extraneum reperiri, qui liberos majore affectu proſequi aut velit, aut poſſit. Verùm hinc non ſequitur, parenti, dum omnē affectum in Rempublicam exuit, obediendum eſſe. 2. Quinimo vel hinc contrarium colligere cuivis erit facile. Si enim nullus affectus ſuperat paternum, id eſt, quem habet pater in filium. Et tamen filium patriæ proditorem jure occidit, adeoque exuit meritò affectum. Quid ni idem in filio dicendum,

Digitized by Google

dum, ut ſi parens ſit perduellis, non quo antea eodem illum affectu proſequi teneatur.

3. Objicitur. Liberto & filio ſemper honeſta & ſancta, perſona patris & patroni videri debet. Reſp. 1. Quamdiu pater paterno fungitur officio, & patroni officio patronus; id eſt, honeſtè, & inculpatè vivunt, tamdiu filius & libertus, amorem, affectum, reverentiam ſecundum præſcriptum juris civilis prę̃ſtare tenentur. Inſuper infirmitates parentum filii patienter ferre debent, & ſi forte ſint duriores, quàm par eſt, non obloqui. Hinc tamen non infertur, filios debere parentibus in omnibus obſequi, & morem gerere. Id enim foret iniquum. 2. Si parens conetur filium necare, idque ſine causâ, non poterit filio honeſta videri perſona patris, ut nec illa obedientia,

l. 9. D. de obſeq. Parent. & Patron.

tia,

Argum. l.2.§. fin. D. de Donat. Novell. 12. c.2.

tia, quæ aliter eſſet præſtanda, patri ſit debita. Ceſſante enim legis cauſâ ceſſat ipſa lex. Quinimo, ſi patria ſolvitur poteſtas, modo parens ad inhoneſta tendat, inceſtuoſas nuptias contrahat; cur non eodem jure, ſi non majori, patri aliquid erit detrahendum, ſi quando hoſtili in patriam eſt animo. 3. Patri quidem parendum eſt, cujus ſancta perſona filio, ſed tamen patriæ magis eſt parendum, quæ nobis dulciſſima, ſanctiſſima. Neque enim unquam obediendum patri turpia imperanti, aut contra patriam.

Gell. noct. Attic. libr. 2. cap. 7.

4. Objicitur. Filius qui patris necem ultus non eſt, ut indignus hæreditate paternâ privabitur. Ergo multo minus vitæ patris præjudicabit. Reſp. Nulla eſt illatio, nulla conſequentia. Ex officio tenetur filius, patris non jure occiſi necem

l.1. Cod. de Indign.

cem ulciſci. Et tamen ex officio tenetur patri nocenti, & perduelli, occurrere.

5. Objicitur. Pater genuit, vitam communicavit, adeoque fides, natura, dilectio, jubent, patri eſſe parcendum. Reſp. Verùm quidem parens genuit, ſed etiam patria genuiſſe dicitur, quæ ideo dulciſſima appellata. Ut in concurſu, major hujus, quam illius habenda ſit ratio. *Quid ſi enim Tyrannidem occupare, ſi patriam perdere, conabitur pater, ſilebit & filius? Immo obſecrabit patrem, ne id faciat: ſi nihil proficiet, accuſabit, minabitur, & ad poſtremum, ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, patriæ ſalutem anteponet ſaluti patris.*

Petrus de Anchor. conſ. 75. num. 5. l. 101. D. de leg. 3.

Cicero 3. de Offic.

6. Objicitur, reſponſum Papiniani, non licere liberto patronum in adulterio uxoris deprehenſum occidere. Quoniam ejus famæ & multo magis

l. 38. §. 9. D. Ad l. Jul. Adult.

gis vitæ parcendum erat. Idque multo fortius in patre militabit. Reſp.1. à ſeparatis mala fit illatio. Apud Papinianum quæritur, an adulterum patronum liceat occidere, quod aliis erat permiſſum. Dico in conſcientia id nulli licet, ſi tamen hoc fecerit maritus, id impune feret, id eſt, cenſebitur hoc factum eſſe extra pœnam, quia aliquid dandum juſto dolori. Verùm noſter caſus eſt, de filio patrem occidente, in crimine maximo deprehenſum, & quidem hoc faciente, lege non tantum permittente, ſed jubente, ac factum laudante. 2. Etſi communiter libertus teneatur parcere vitæ patroni, nullibi tamen jure expreſſum, libertum ad hoc teneri, ſi patronus perduellionis reus ſit. Tum enim à jure communi receditur, propter publicum bonum. Et communis ſalutis gra-

C. hæc quippe. 5. quæſt. 6. c ubi non de Deſponſ. Impub.

gratia, jura merito relaxantur, ut à theſi ad hypotheſin mala fiat illatio.

7. Objicitur ab Acacio Enenckelo Barone, filius conſcius inſidiarum in patrem, ſi non ſucceſſerint, relegatur; quod ſi ſucceſſerint, eâdem pœna, qua auctor criminis punitur. Reſp. Nulla hæc conſequentia. Si injuſte parens occidatur etiam cædis conſcius filius punitur. Ergo ſi jure occidatur, itidem punietur filius? Abſurda hæc illatio, & nullius momenti.

Georgius Acacius. Enenck. d. l. per l. 2. D. Ad l. Pompei de Parricid.

8. & ult. Objicitur. Decuriones, qui contra patriam ſuas cauſas agere vetantur, pro parentibus tamen contra patriam agere poſſunt. Ut patriæ videantur parentes præponendi.

l. 4. l. ult. D. de Poſtulando.

Reſp. In cauſis civilibus & privatis non eadem ratio, quæ in publicis & criminalibus.

Præ-

Præterquam quod ibi fiſcus, non jure fiſcins conſideretur, verum jure privati, cum altero privato ſecundum juſtitiæ leges contendentis.

Quæ hactenus ex jure civili ſunt confirmata, eadem & jure feudali probari poterunt. Si enim vaſallus domino auxilium præſtare tenetur, etiam adverſus patrem: quid ni ſecundum illa jura patrem necare poterit. In quem enim arma diriguntur, is etiam jure occiditur. Neque videtur illa ſententia juris feudalis deſtitui ratione. Si enim parens injuſte dominum vaſalli offendens, agat contra jus naturale, contra fidem datam, fruſtra beneficium ullum juris naturalis ſperabit, ut qui eo jure ſeſe reddiderit indignum.

§. fin. tit. 28. *Hic finitur lex*. l. 2. Bronchorſt. Miſcell contr. cent. 2. aſſert. 93. Argum. l. 37. in fin. D. de Minor. §. ſententiæ, de Pace Conſtant d. §. dict. tit. Arg. l. 14. *D.* de leg.

Nec obſtat quod vaſallus, ſi bellum patriæ & quidem jure inferatur, & patriam defendat,

de-

deſertò feudi domino, feudo non privetur. Id quippe clementer ita receptum, imperatorum liberalitate; adeoque non eſt trahendum ad exemplum. Præterquam quod major ſit favor patriæ, quam parentis, per rationes antea allegatas; ut fruſtra quis à conceſſis causâ patriæ, cenſeat eadem conceſſa gratiâ parentis.

Neque à ſententiâ hactenus ſtabilitâ abhorret jus ſacrum, ſaltem ratio inde deſumpta. Ut enim in negotio Dei, quivis tenetur parentes abnegare, eoſque poſtponere; ita etiam licebit aliquo in caſu, ſi aliter bonæ cauſæ conſuli nequeat parentem necare. Quid ſi enim parens publicus veræ religionis hoſtis acerrimus, non ei parcet oculus filii, verum abjiciendo inordinatum omnem affectum filialem, dicet patri, *non novi* te. Quinimo ſilicitum, ex-

ex præcepto Chriſti, parentes aliquibus poſitis circumſtantiis deſerere, odio perſequi, Chriſti gratiâ, & propter ejus nomen; idque ſi conſiderentur non ut parentes ſed oſores Dei, & quidem publici eccleſiæ hoſtes. Quidni eos, ut tales occidere licebit. Præſertim, ſi illis parcere nequeamus, niſi cum eccleſiæ, vel religionis everſione. Exemplo hic præivere Levitę & Sacerdotes, qui licet habuerint expreſſum ad hoc mandatum: ratio tamen jam allegata efficit, ut ſi ſimilis incidat caſus, etiam idem liceat. Sumat, inquit Deus, ſibi quiſque gladium, ac interficiat ſibi propinquum & amicum ſuum. Scilicet factum hoc cum Iſraëliticus populus tardante
Exod c. 32. v. 27. Moſe in monte vitulum adoraſſet. Quo tempore filius parentem, & parens filium occidit. Et quamquam inibi non

ex-

Digitized by Google

exprimatur, parens aut filius, verum tantum frater, amicus, proximus; attamen ex alio loco Scripturæ ſatis colligitur, Moſem etiam nominaſſe parentes & liberos; aut ſaltem Levitas mandatum Dei de occidendis vituli cultoribus rectè ex pio zelo ita fuiſſe interpretatos, ut etiam parentes & liberos complecteretur. Ut jure divino filium à patre, & patrem à filio occidi poſſe, aliquo in caſu haud illicitum judicari debeat.

Cap. XIII.

De Duellis ſeriis extra judicia gloriæ causâ ſuſceptis.

Fuit olim, & etiamnum eſt, populorum circa mores & inſtituta diſſenſus; quorum alii ſeſe aliis in bello exercitatiores autumabunt, alii morum

rum gravitate ac prudentiâ, ſeſe alios ſuperaturos confident. Vnde in exercitu, qui diverſas complectitur nationes, indies de jure præeminentiæ, ac præcedentiæ oritur controverſia. Æmulatione enim gloriæ ductæ, ſingulæ ſibi primum in hoſtem impetum largiri deſiderant, primam in urbe obſeſſâ eruptionem. Neque aliâ ratione hæc primatus diſſidia componuntur, quàm aleæ jactu, & ſortis judicio. Et hæc quidem publicè in exercitu evenire ſolent. Verum nec hic ceſſant privatæ ſimultates, inter diverſarum nationum milites, Anglos, Gallos, Belgas, alioſque; quorum alii ſuos populares collaudant, ſpernunt exteros, ſeu homines non ſuæ gentis. Vt ſæpe hæc contentio congreſſui dederit occaſionem, non unius, aut duorum vel trium, ſed etiam legionum concur-

currentium catervatim ad conflictum perpaucorum. Teſtis eſt locuples noſtrum Belgium fœderatum, ut etiam eo nomine articulis militaribus cautũ ſit, ne quiſpiam ſi cum quoquam litiget, nationis ſuæ milites in auxilium vocet; idque ſub pœnâ ultimi ſupplicii: quod hæc ſit occaſio tumultus, ac ſeditionis. Hinc inter cæteras, & illa Imperatoris exercitus cura eſt, ne in caſtrametatione illæ jungantur nationes, neve vicina habeant tentoria, quarum odia internecina, quęque quam maximè, armis, fortitudine, gloriâ de primatu contendunt. Non tamen id efficere poterit, vel prudentis ducis exercitus ſollicitudo, ut omnem antevertat aut avertat depugnandi occaſionem; quin etiamnum reperiantur in caſtris, qui pro ſuæ gentis gloriâ decertent. De tali autem duelli

Inſtrumentum Militar. artic 39.

Digitized by Google

duelli genere inquiritur, num ullo caſu ſit admittendum? Ita quidem illi velint, qui aliquid gloriæ tribuendum exiſtumant. Ita etiam Decius conſuluit pro Ludovico Belgioioſo comite, contra Aloyſium comitem Gunzagam in controverſiâ ortâ occaſione obſeſſæ civitatis Laudæ, quod dixiſſet Belgioioſius Venetis ſerviẽtes eſſe poltronos. Conceſſum enim fuit ſingulare certamen inter utrumque.

Decius conſil. 487. n. 8.

Mihi tamen, ſalvo meliore judicio, dicendum videtur talia certamina omnino eſſe improbanda. Etſi enim aliquid dandum ſit gloriæ, uti glorioſum ducitur pro patriâ mori; inglorium tamen eſt aliquem ſeſe mortis ſubjicere periculo, citra ullam patriæ defenſionem, aut utilitatem. Tales enim meo judicio, quam maxime patriæ & ſuorum officiunt

Digitized by Google

ficiunt commodis, ut qui ſe-
met ad meliora tempora, &
occaſiones licitas ſervare po-
tuiſſent, quo ſuâ virtute patriæ
eſſent emolumento, ſuis forti-
ter pugnando decori. Præter-
quam, quod nec ejus gentis
gloria minor ſit, cujus in tali
duello ſuccubuit propugnator,
ut nec ejus gentis major gloria,
cujus promachus victor exſti-
tit. Vt in vanum & temerarie
talis paucorum decertatio pro
nationis fortitudine ſuſcipia-
tur. Ne dicam, malè inferri
de totius gentis fortitudine,
ex unius virtute aut vitio: cum
hic non liceat ex uno probaſſe,
aut improbaſſe, cæteros totius
gentis milites.

Quid quod ea vera fortitu-
do non ſit, animo & arte mili-
tari contendere velle; niſi id
fiat in hoſtem, in quem nos ar-
matos voluit reſpublica; idque
tempore opportuno, ſi quando

in conflictu cum hoſte noſtro opus habet auxilio. Ibi pedem pedi jungamus, & exemplo comprobemus, quam armis prævaleamus alterius nationis militibus, quibus nos ſuperiores antea jactaveramus. Aliter, ſi deſint in hoſtem depugnandi occaſiones, in quibus res atque eventus rerum geſtarum experimento eſſe poſſent, ceſſandum eſt, neque gladii in ſocios ac confœderatos, etiamſi alterius gentis, exacuendi. Suffecerit omnibus, & etiam ſingulis per omnia ad perfectam fortitudinem lex & imperii favor.

CAP. XIV.

Duellum ſerium oſtentationis gratiâ initum, num licitum.

EA eſt nonnunquã humani generis imperfectio, ut vulnera

nera & cædes pro ludo ac joco habeant & ſanguinis effuſione oculos paſcant & oblectent. Exemplo ſunt, congreſſus illi ſingulares, in Iſlandiâ etiamnum uſitati, in quibus victus cenſetur, qui cruore primum humum tinxerit. Et illi in Angliâ, ſub regibus (an lege probati, an potius per conniventiam, quod mihi ſit probabile) non ita pridem, cum ibidem degerem inſtituti, in quibus gladiatores cæſim depugnabāt in Theatro, & pugnam continuabant, donec alteruter ſanguinem emiſiſſet, vel læſus fuiſſet. Exemplo etiam fuere tot veterum commiſſiones, beſtiarum cum mancipiis, & mancipiorum inter ſeſe. Et quod ſpectaculum Barbaris ac feris potius, quam rectæ rationis hominibus dignum erat, digladiationes inſtitutæ gladiatorum in foro, qui ſtrictis mu-

Arngr. Jonæ in deſcript. Iſland.

cronibus audaciæ atq; virium oſtentandarum gratiâ, populi explebant animum. Quarum adeo avidi fuere nonnulli Imperatores Romani, ut potius gladiatorum conſortio intereſſe, atque ex eorum catogogio prodire mallent, quam cum ſenatoribus in ſenatu verſari, ibique rempublicã adminiſtrare. Verum quidem eſt, videri talia ſpectacula quaſi jure naturæ introducta, ut illud jus naturæ accipitur, pro aliquo inſtinctu naturæ, quo naſcitur aliqua inclinatio, quæ virium corporalium inducit experientiam. Attamen ut illa inclinatio tendit ulterius, ac ſeſe diffundit ad mutuam læſionem & vulnera, in tantum non ea poteſt dici juris naturæ, ut ab eâ abhorreat ipſa natura. Talia igitur duellorum vel certaminum genera, de omni jure illicita judicamus.

Herod. Hiſtor. l. 1. in vitâ Comm.

Cer-

Certum id eſt de jure civili, quod per Imperatores Chriſtianos correctum (antea enim conſuetudine obtinebant) ad humanitatem & æquitatem redactum fuit. Et quia duella talia, nihil aliud ſunt, quam gladiatorum, vel laniſtarum commiſſiones, quæ penitus ſunt ſublatæ. Ita enim Conſtantinus Imperator. *Cruenta ſpectacula in otio civili & domeſticâ quiete non placent: quapropter omnino gladiatores eſſe prohibemus.* Et quia exploratio virium atque fortitudinis eſſe debet citra injuſtitiam. Ea quippe ſolum fortitudo, quæ virtuti juncta eſt, eaque ſolummodo laudabilis. Et quia de jure ſublata ea genera ſpectaculorum, in quibus urſi, pantheri, leones cum hominibus committebantur; multo magis, in quibus homines cum hominibus ad vulnera & cędem crudelem

l. unic. Cod. de Gladiat. tollend. Novell. 69. §. 1.

committuntur. Ut ratio conſtitutionis in feris concurrentibus cum hominibus, inter ſolos homines, multo magis

l.11.Cod. de Feriis.

militet; *quæ lacrimoſa omnia ſpectacula ceſſare voluit*. Et denique quia de jure civili tales congreſſus ludis non amplius annumerantur, qui ultra ludos

§.9. Proœm. Dig.

progrediuntur. Neque ſunt exercitia legitima unde oriuntur crimina.

l.unic. Cod. de Athletis.

Verùm objiciunt. 1. Athletis civilium munerum vacationes conceduntur, qui merito in ſacris certaminibus ter fuiſſent coronati. Igitur illi congreſſus legibus fuere probati, ac præmiis decorati.

Reſpondeo, loquitur objecta conſtitutio de luctatoribus, qui citra culpam committuntur. Neque illi damnandi, quod eorum exercitia ad promovendam valetudinem, ad exercendas vires, tendant. Ut alia

Digitized by Google

alia ſit ratio congreſſus, in quo non tam vires exercentur, quam debilitantur membra artuſque mutilantur, quod ad vulnera, & ad cædes progrediantur gladiatores.

Objiciunt. 2. Pancratiaſtem extra culpam eſſe de jure civili etiamſi quis in Pancratia occidiſſet ſuum adverſarium. Ut idem de gladiatoribus dicendum videatur, licet ad vulnera & cædes tendant. Reſpondeo, Pancratio complectebatur exercitium pugilum ac luctatorum; in quo ideo culpæ locus non erat, quia ſi quis forte vulneratus aut occiſus fuiſſet, id non naturæ aut conditioni iſtius ludi, non voluntati ludentis, imputandum erat, ſed caſui, qui extra noxam eſt. Verùm in congreſſu gladiatorum, gratiâ oſtentationis adhibito, voluntas & animus adeſt, adverſarium, ſi non occidendi,

l. 7. §. 4. D. Ad l. Aquil.

§. 3. & 4. Inſtit. Ad l. Aquil.

ſaltem vulnerandi. Cumque lucentibus concurrant mucronibus, damnum datum, non caſui, ſed conditioni talis congreſſus imputabitur.

Neque hic diſſentiunt Canones, qui omnia duella oſtentationis gratia adhibita omnino damnant. Ita torneamenta
Can. 1. de Torneam. prohibentur, *in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ temere congredi: unde mortis hominum & animarum pericula ſæpe proveniunt.* Quo etiam facit
Conſt. de an. 1567. Cal. Novembr. conſtitutio Pii 5. Quæ incipit. de *ſalute gregis*. Quam ob eam rationem edidit, ne ſpectacula ferarum cum hominibus permitterentur.

Nec deſunt rationes Theologicæ, quæ talia diſſuadent ſpectacula. Homicidium enim committit, qui non caſu, aut infortunio, verùm auſu temerario, idque citra ullam proba-

babilem neceſſitatem, proximum vulnerat, & interficit. Id vero agit, qui tantum gratiâ oſtentationis citra cujuſquam commodum, vel publicum, vel privatum, citra neceſſitatem, armis nocivis adverſarium adoritur. Præterquam quod non liceat, crudele & periculoſum medium eligere, quod cum proximi detrimento conjunctum eſt, etiam cum ejuſdem cæde, idque in finem vanum. Quod fit, quando ut ſpectaculum populo gratum exhibeatur, ſtrictis concurritur mucronibus. Ne jam dicam, quod tentare Deum ſoleant, qui ſeſe in periculum vitæ conjiciunt, citra neceſſitatem. Quod agunt, qui decertant, citra defenſionem vitæ, bonorum, honoris, aut reipublicæ. Denique quid magis repugnat charitatis præcepto, quam talia lacrymoſa e-

quod occaſione datâ, intrepide (neque enim effuſionem deteſtantur, ei jam aſſuefacti) ſanguinem humanum ſint effuſuri, eoque ſeſe ſatiaturi, quo nunquam ſpectando ſatiari poterant.

Cap. XV.

Utrum duella ad defenſionem ſui adhibita, licita ſint?

IN tantum natura eſt ſui provida, ac conſervatrix, ut etiam inter homines ſi neceſſitas ferat, ea defendi poſſit, etiam debeat, cum alterius, licet proximi, cęde. Dictat hoc ipsũ communis ille inſtinctus, qui hominibus cum brutis communis, dictat hoc jus civile, canonicum, ſcripturarium.

Quidquid enim vitam habet ac ſpirat, diligens eſt ſui, omneque animal, hoc indi- Cicer. 1. de offic.

tum habet, ut corpus vitam tueatur; eaque declinet, quæ ſunt nocitura. Ut nullum eorum in amorem ſui ſit incitandum aut cohortandum, quem ſimulac naſcitur, trahit ſecum. *Non hac ſcripta, ſed nata lex eſt, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex ipsâ naturâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.* Vnde etiam provida rerum natura parens, bruta animalia armis munivit, quibus vim & injuriam repellant. Ita enim poëta Anacreon,

Cicero Orat. pro Milon.

Tauro ferire cornu,
Equo, ferire calce,
Lepori, valere curſu.
Natura dat: Leoni
Dentes hiante rictu.

Anacr. carm. de muliere. Interpr. Henr. Steph.

Naturæ ſuffragantur leges, qui-

quibus quiſque id jure feciſſe dicitur, quod ob corporis ſui fecerit tutelam.

Neque diſſentiunt conſuetudines & mores, qui vim vi repelli poſſe non tantum permittunt, verum etiam probant.

Neque obſtant, quæ in adverſū ex jure civili impinguntur. Neque primo illud Pauli Juriſconſulti, qui ſtatuit, eum teneri lege Aquiliâ, qui cum in adverſarium lapidem defendendi ſui causâ mittere voluiſſet, prætereuntem percuſſerat. Ut hinc conſequi videatur, eum qui in defenſionem ſui lapide uſus eſt, in re illicitâ verſatum fuiſſe. Cum ſi rei licitæ operam dediſſet, caſus nulla fuiſſet pœna: Quod nullum fuiſſet delictum, culpa nulla. Reſpondeo, etſi qui prætereuntem occidit dum ferientem occidere volebat, non tenea-

l.3. D. juſt. & jur. l.3. §. 27. D. de vi & vi armat. l. 4. l.45. §. 4 D. Ad l. Aquil. l.3.4. Cod. leg. Cornel. de Sicar. Ordin. crimin. Carol. 5. art. 139. Conſtit. Ordin. Holl. de an. 1591. 16. Dec. & de ann. 1614. 19. Mart. l.45. §.4. D. Ad l. Aquil. l.4. D. de Injur. l. 22. Cod. de Pœn.

neatur lege Corneliâ de Sicariis, in quam tantum venit dolus; non etiam actione injuriarum, quod animus injuriandi nullus ſit; & maleficia diſtinguat, voluntas ac propoſitum delinquentis. Quia tamen is poteſt eſſe in culpâ leviſſimâ, adeoque ejus impudentiæ venit imputandum, quod non cautius fuerit jaculatus; & ea venit in l. Aquiliam, ideo etiam adverſus talem actioni ex l. Aquiliâ competenti locus erit. Ne dicam, eum forte & ideo Aquiliæ nomine teneri, qui in adverſarium remotum jecit lapidem, quod id non tam fecerit urgente neceſſitate, quã irâ incitante, adeoque non tam ſui defendendi gratiâ, quam quidem animo ulciſcendi. Cum illi tantum cenſeantur innoxii, qui cum aliter ſe tueri non poſſent, damnum alicui intulerunt, Neque 2, obſtat ſecun-

l.53.in init.D.de furt.

l.44.D. Ad l.Aquil.

d.l.45. §.4.

cundum juris Præceptum, *alterum non lædes*. Quod enim in theſi ita obtinet, id in hypotheſi aliter ſeſe habet; & aliquid indefinite illicitum judicatur quod tamen in circumſtantiis cenſebitur eſſe licitum. Non itaque alterum lędes niſi cum te aliter tueri non potes, neque occides, niſi licite, id eſt, adhibito moderamine inculpatæ tutelæ. Neque 3. obſtat dictum Valentiniani, Imperatoris, *Homicida, quod fecit exſpectet*. Reſpondeo enim dictum illud accipi oportere, de homicidâ doloſo, quique extra cauſam juſtæ defenſionis humanum ſanguinem effundit. Vt ſecus dicendum ſit, ſi quiſquam urgente neceſſitate adverſario necem intentaverit.

l. 10. D. de Juſt. & jur. §. 2. Inſtit. eodem.

l. 3. D. de Juſt. & jur. l. 3. in medio. Cod. de Epiſc. Aud.

Concordant etiam juri civili canones, qui licitam ſtatuunt ſui defenſionem, modo ea cum moderamine ſit conjun-

c. interfeciſti. de Homic. Volunt. c. non æſtumem. 13 q. 2.

mana cognitio, aut recta ratio juris naturalis non ignara, unquam patietur, quicquam fieri, quod apud Deum ſit prohibitum. Neque Deus per ſcripturam naturæ legem evertit, ſed eam confirmat magis. 2. Quia congruentur juri divino, quiſque tenetur vitæ conſulere, in quantum poteſt, & debet. Et lex divina, quæ dicit, *non occides*, non ſolum vetat, ne alium occidas, ſed etiam ne temet ipſum; adeoque mandat, ut temet defendas, ac tuearis. Ut arceas & evites omne incommodum, quodque naturæ eſt adverſum aut deleterium. Verum, qui ſe potius occidi patitur, quam ut avertat plagas ſibi illatas, etiam cum damno, cum internecione adverſarii, non ſibi conſulit, quantum poteſt, nec conſervationi ſui intentus eſt, verum efficit, ut illa lex, *non occides*, in propriâ perſonâ vio-

Covarr. Releᴄt. c. quamvis pactum. 3 part. §. unic. Perkins Caſ. Conſc. libr. 3. cap. 3. caſ. 3.

Epheſ. cap. 5. v. 29. violetur. Vt eâ in re, non minus delinquat, quam ſi ipſi ſibi violentas manus intuliſſet. Nam qui vitam negligit, eamque ſuâ culpâ amittit, idem eſt, ac ſi ſeipſum occidiſſet. Probatur. 3. Quia quiſque regulariter plus tenetur, ſibi, ſuæque vitæ providere, quam vitę alterius; ſaltem æquè ſibi proſpicere tenetur, quam proximo; idque ex mandato Chriſti; proximum diliges, ſicut teipſum. Verum ſi patiatur ſe potius occidi, quã ut iniquum interficiat invaſorem, non ita ſibi conſulit, atque quidem proximo conſulere debuiſſet. Licebit enim in gratiã proximi ab abverſario oppreſſi, actum moderatæ tutelæ exercere, ne occidatur, ut id æque liceat, ſi non magis, ad evitandam ſui occiſionem. Vnde ferunt, Lutherum, interrogatum aliquando, num à prædoni-

Matth. c. 22. v. 39.

donibus ſibi vim illatam, ſi poſſet, etiam repellere vellet; reſpondiſſe. *Quid ni, ſecurè ſumerem gladium, inſtar alicujus judicis, ac me putarem bonum opus perfeciſſe.* Probatur 4. ex lege Moſis, in quâ cautum, *ſi fur domum effregerit, & in ipſo facto deprehenſus, accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſorem non fore ſanguinis reum.* Vt ipſe Deus tutelæ inculpatæ moderamen obſervari voluerit. Nam in ipſo facto deprehenſum, & armatum furem occidere fas eſſe judicat, quod diſcerni nequeat, an venerit animo occidendi, an vero furandi animo.

Bulluæs. diſp. 1. de tribus gener. Jur. Præcept.

Exod. c. 22. v. 2. 3.

Diſplicet tamen ſententia illa juriſconſultorum: *latronem inſidiantem licere occidere*, nonnullis eccleſiaſticis ſcriptoribus. Ita enim Antiſtes Hipponenſis. *Legem*, inquit, *quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, ſed quomodo iſtos, qui*

Auguſt. libr. 1. de liber. Arbitr. c. 5.

qui interficiunt, defendam, non invenio. Quæ etiam videtur fuiſſe ſententia Poëtæ cujuſdam Græci, qui in Poemate è Græco in Latinum verſo, ita cecinit:

Phocyl. in Poem. Admonit.

Enſem accingere non ad cædem, ſed profectionem.
Vtinam vero non egeas enſe, neque juſtè, neque injuſtè.
Si namque interfeceris etiam hoſtem, tuam manum polluis.

Covarr. in c. ſi furioſus de Homic. d. Cum quo facit Accurſius Juriſconſultus, qui defenſionem cum offenſione jure fori, non cœli, licitam eſſe exiſtumat, in eâ tamen ſententiâ à Paulo Caſtrenſi, Covarruviâ, aliiſque reprehenſus. Berlich. Concluſ. 12. part. 4. Et conſentiunt Anabaptiſtæ, qui legem illam naturæ, de vi illatâ repellendâ, præcepto Chriſti adverſari tradunt. Et quidem objiciunt. 1. Illud Salvatoris: Matth. c. 5. v. 38. & ſeq. *ego vero dico vobis, ne reſiſtatis malo: ſed quiſquis te cædet in dexteram*

Digitized by Google

ram tuam maxillam, obverte ei & alteram. &c. Reſpondeo, hunc eſſe ſenſum ejus loci, potius, quam injuſtè quis velit vindicare injuriam ſibi illatam, malit eam omnino non vindicari. Idque quo magis in nobis illa vindictæ cupido, quæ exorbitat, reprimatur, ac coerceatur, non ut legitimus defenſionis modus auferatur. Vnde eleganter ad hunc locum reſpiciens Auguſtinus, ſic ſcripſit. *Ea quæ in novo teſtamento à ſanctis facta ſunt, valent ad exempla intelligendarum ſcripturarum, quæ in præceptis digeſta ſunt. Velut cum legimus in Evangelio: Accepiſti alapam, para alteram maxillam. Exemplum autem patientiæ nullum, quam ipſius Domini excellentius invenimus, & ipſe cum alapâ percuſſus eſſet, non ait: Ecce alteram maxillam, ſed ait: ſi malè dixi, exprobra de malo: ſi autem bene, quid me cædis? Vbi oſtendit illam* Auguſt. libr. 1. de Mendac. Et de Sermon. domini in mont. lib. 1. c. 37.

præ-

præparationem alterius maxillæ, in corde faciendam. Vt Dominus potius miſericorditer perferendam alterius infirmitatem indicet, quam alieno ſupplicio ſuam mitigandam: Neque tamen hic ea vindicta prohibetur, quæ ad correctionem valet. Ipſa enim pertinet ad miſericordiam, nec impedit illud propoſitum, quo quiſque paratus eſt ab eo, quem correctum eſſe vult, plura perferre.

Idem l. 1. cap. 35. *Et alibi: quæri autem poteſt, quid ſit dextera maxilla. Sed cum facies ſit, quâ quiſque cognoſcitur, in faciem cædi, ſecundum Apoſtolum eſt, contemni, deſpici.*

CAP. XVII.

An ſi provocans interfecerit provocatum juſtæ defenſionis beneficio uſus eſſe cenſeatur, aut vice verſâ?

TUrbator pacis publicæ aliquem in viâ eſt aggreſſus,

ſus, qui ut ſe vidit in extremo conſtitutum periculo, necem intentat invaſori. Cumque in progreſſu pejor aggreſſoris exiſtat conditio, ſic ut ex offenſore fiat defenſor ſuæ vitæ, & ex voluntario & temerario aggreſſore, neceſſarius. Quæſitum, an illi tuto liceat adverſarium, quem primum fuerat aggreſſus, necare, quo mortis periculum evadat? Reſpondeo, nullo jure poterit, qui ſine causâ adverſarium aggreſſus eſt primitus, eundem occidere. Ratio 1. eſt, quia non præſumitur juſtam occidendi cauſam habuiſſe, qui inſpecto initio, non facit aliquid ad defenſionem, ſed ad offenſionem. Verùm qui primùm aggreſſus eſt adverſarium principii ratione, juſtam litigandi cauſam non habuit, quia iniquus offenſor. Ergo & culpæ reus habebitur.

Argum. l. 52. §. 1. D. Ad l. Aquil l. §. 11. *D.* ſi quadr. Paup. l. 6. Cod. Ad l. Jul. *de vi Public.* l. quod

Quò etiam facit, quod quando

do agitur, de excuſandis delictis, non tam finem, quam initium ſpectari ſoleat.

Ratio 2. eſt. Quia non is in culpâ cenſebitur, qui forte merito ad iram provocatur, ſed qui provocat. Et ille culpæ auctor, à quo incipit malitia. Ut ſibi imputare debeat, ſi ſemet illi periculo ſponte intricaverit quod jam evitare non poteſt. Et ipſe de ſe conqueratur, quod adverſarium ſua offenſione ſibi quæſierit.

Ratio 3. eſt. Quia regulariter provocato jura favent, ut propter cædem aggreſſoris, modo periculum evadere non potuerit, non veniat puniendus; & contra aggreſſorem judicant, eumque non tam ex neceſſitate, quam malitia egiſſe, quicquid egit, præſumunt.

Verùm, an ſi provocatus provocantem fuerit ſequutus, eumque interfecerit, moderamine

mine inculpatæ tutelæ uſus eſſe judicabitur? Non equidem. Et ſi enim jura faveant Provocato, non tamen ſi ſponte ſequatur provocantem, non ſi periculum effugere potuiſſet, non ſequendo. Non ſi domi manendo, & ſibi & adverſario provocanti parcere potuiſſet. Qui moderamine utitur, in inſidias adverſarii invitus incidit; qui ſequitur provocantem, in inſidias irruit. Ille vim & injuriam arcet, hic etiam infert; Illum periculum deliberare non permittit; hunc è contra, quod etiam judicem conveniri poſſit, adeoque remedio juris convenienti, ſibi conſulere. Ut niſi id agat, culpæ ſit ſubjectus, adeoque pœnæ. Cum qui adverſario parcere potuit, etiam parcere debuerit. Si tamen in continenti ortâ rixâ, alter calore iracundiæ provocaverit, alter eodem fervore in

Menoch. de Arbr. caſubus. 362. Anton. Matth. tract. de Crimin. ad tit. 5. libr. 48. D cap. 3. num. 8.

pugnam deſcenderit, ab ordinariâ legis Corneliæ pœnâ excuſari ille poterit, qui crebris adverſarii injuriis ita exacerbatus fuit, ut diutius collectam iræ vim ſuſtinere nequiverit.

Cap. XVIII.

Utrum æqualitas armorum ſit neceſſaria?

Perkins Caſ. conſ. libr. 3. c. 3. caſ. 4. Balduin. libr. 4. c. 1. de caſ. conſc. circa corpus hominis. & Juriſconti apud Bocerum cap. 10. allegati.

INter conditiones ad moderamen inculpatæ tutelæ requiſitas, nonnulli inter juriſconſultos exigunt, ut defenſionis ad offenſionem ſit proportio, adeoque eo modo, quo vis infertur, eadem repellatur. Vnde etiam armorum æqualitatem maximopere ſpectari volunt, ut defenſio legitima dicatur. Probabiliorem tamen eam ſententiam exiſtimavero, quæ non ſemper æqualia arma deſiderari, aut ſpectari, ſtatuit.

Id-

Idque probatur de jure canonico, quicquid in contrarium ſtatuant multi canoniſtæ. Neque enim eo jure, ullam incurrit irregularitatem, qui mortem aliter evitare non valens, ſuum mutilat, vel occidit invaſorem. Cumque canon non diſtinguat, inter mutilantem vel occidentem armis æqualibus aut inæqualibus, modo ſubſit periculum. Et illud ſubeſſe poſſit, licet inæqualibus armis, quis petatur; fruſtra jure non limitante, limitationem talem adhibemus. Clementinæ de Homicidio. Novell. 18 c.5. in Init.

Neque hic leges diſſentiunt, quæ indiſtinctè, propulſionem periculi imminentis admittunt. Cum quiſque id jure feciſſe dicatur, quali quali id fecerit inſtrumento, quod ad corporis ſui fecerit tutelam. l.3. D. de Juſt. & jur. l. 3. Cod. Ad l. Cornel. de Sicar. l. 52. §. 1. D. Ad l. Aquil.

Accedit, quod cuique liceat telo aggredientem interimere. Verùm *teli* nomine etiam in- l. 4. D. Ad l. Aquil. §. 5. Inſt. de Publ. Jud. l. 2.

 æqua-

Cod.l. Cornel. de Sicar.

æqualia veniunt arma, ſi modo iis vel mutilari vel occidi quis poſſit. Ut licite etiam quibuſcunque armis aggreſſor interimatur. Ita, exempli gratia, qui fuſte quem aggreditur, gladio munitum, eum in vitæ diſcrimen adducere poterit, ut aggreſſus gladio vim atque injuriam merito propulſet. Ita Hercules alter, vel pugno, baculo munitum necaret, ut jure inæqualibus armis homini robuſto quis reſiſtat. Sic enim ferunt quendam fuiſſe Peruſinum, qui pugno in capite non tantum homines ſed & boves necabat, ut tutum non ſatis eſſet ipſius ictus aut alapas experiri. Etiam Jotzardum Friſonem equum ſuum pugno occidiſſe hiſtoriis Friſiæ proditum eſt.

Martin. Hamcon. de Rebus Geſt. Friſ. libr. 2.

l. Providendum. Cod. de Poſtulando.

Neque obſtat 1. Quod equalis utrinque debeat eſſe defenſio, lege ita poſtulante. Neque enim

enim inibi agitur de neceſſariâ corporis defenſione, verùm tantum de actore & reo in judicio contendentibus. In quo cum alter alteri paris defenſionis copiam ſubtraxiſſet, utrique ſe defendendi ex æquo conceditur poteſtas. Neque obſtat. 2. Quod quis videatur aliter ſe defendere poſſe, qui pugno aggredientem forte gladio repellit. Reſpondeo enim, ſi aliquâ ratione poſſit vim ab adverſario ſibi pugno aut fuſte illatam repellere, idque citra mutilationem corporis, aut vitæ ademptionem, ulterius progredi non debebit. Parcendum enim adverſario, ſi id citra periculum poſſit. Verùm quia vulnera, non infliguntur ad menſuram aut modum, ſi animo & intentione tantum vulnerandi interfecerit aggreſſorem imparibus armis aggredientem, omni pœnæ de jure ci-

l. 45. §. 4. D. Ad l. Aquil.

Damh. Prax. crim. c. 76. n. 7. Berlich. concluſ. Pract. part. 4. concl. 13. artic. 56.

civili exemptus erit.

l. 3 §. 9. D. de vi & vi armat. Neque obſtat 3. Quod jure expreſſum ſit, eum qui armis venit, nos poſſe armis repellere; adeoque à contrario ſenſu procedat, eum qui ſine armis venit, etiam ſine armis eſſe repellendum. Reſpondeo enim 1. Argumentum à contrario ſenſu in jure non ſemper procedere, præſertim ſi textus alii juris obſtent, qui aliquid aſſerunt contra ſenſum contrarium. 2. Is etiam qui pugno nos adoritur, ſi robuſtus ſit, ſic ut vel pugno hominem necaverit, merito dicitur armis nos aggredi, ſaltem iis inſtrumentis quæ ſunt vice armorum, cum ipſe iis æquè atque alii armis nocere poſſit.

Weſembec conſil. 19. num. 17.

Neque aliud ſuadent Theologicæ rationes, quibus eo quo dictum eſt modo, quiſque ſe tueri poterit. Licet enim malum nobis illatum avertere,

etiam

etiam inferendo alteri malum, qui id infert, modo id aliter evitari non poſſit. Neque enim tum inferimus alteri malum, cum nihil minus intendamus, ſed quod nobis illatum eſt, aut infertur, propulſamus. Verùm qui invadentem manu robuſtâ, firmis artubus ac lacertis, baculo, gladio repellit, quid aliud agit, quam ut malum, quo poteſt modo avertat, ac removeat. Ut ſi quod imminet, in auctorem mali redundare faciat, non peccet in conſcientiâ. Accedit, quod nemo teneatur dolorem aut plagas ſibi illatas perferre, modo eas poſſit præpedire. Ex officio quippe caritatis, quam ſibi ipſi debet, carnem propriam fovere tenetur. Ut enim æger non ſibi ſatis conſulit, qui remedia negligit, quibus vita prorogatur. Ita qui non avertit ictus adverſarii, quoquo poteſt mo-

do, vitæ non ſatis conſulit, ut vel ſui homicida, vel oſor propriæ carnis ſit appellandus.

Neque reclamat dictum Salvatoris, percuſſori unius maxillę, alteram eſſe obvertendam. Neque enim aliud iſto in loco Salvator noſter deſignare voluit, quam injurias nobis illatas, ſi leves ſint, neque adeo damnoſæ, æquo animo perferendas eſſe, nec ſuper leviculis cum adverſario contendendum. Ut præſtet cedere minoribus, quam pertinacius reſiſtendo, majoribus ſemet periculis ſubjicere.

CAP. XIX.

Utrum inſultatus ab inſultante primum ictum excipere teneatur, utrum vero eundem antevertere poſſit?

INter interpretes non minus agitata quæſtio, num ad legi-

legitimam defenſionem requiratur, ut ab inſultante inſultatus primum ictum excipere teneatur, num vero ipſum inſultantem primùm ferire poſſit? Et licet nonnulli cenſeant vim illatam eſſe repellendam, non autem cenſeri illatam, ſi nondum percuſſerit aggreſſor; mihi tamen contraria ſententia pro vera amplectenda videtur. Idque confirmatur abunde de jure civili. 1. Quia ſufficit ad juſtàm & legitimam defenſionem pręſens armorum metus, vel ſaltem timor majoris malitatis, qui etiam in virum fortem ac conſtantem cadere poſſet. Vt quis licitè ferro petentem mutilet & metu mortis furem, aliumve latronem venientem gladio: modo metus ſit, quod veniat animo occidendi. 2. Quia non ſolum jure impeditur, qui occidit, ſed & jure repellitur, qui

l. 5. in Init. D. Ad l. Aquil. l. 2. 3. 4. Cod. Ad l. Cornel. de Sicar.

Bald. ad l. in leges D. losar.

ſe præparat ad occidendum; adeoque occidendi hominis gratiâ, cum telo obambulat. Verùm qui enſe aut ferro aliquem petit, licet nondum percuſſerit, ſe ad occidendum præparaſſe dicetur. Igitur & ille jure repellitur. Neque enim tantùm tenemur obviare malo, quod eſt in actu, verùm etiam quod eſt in potentiâ, & quidem proximâ, quæ facile in actum deduci poſſet. Ut probato inſultu, & provocatione, à parte ejus qui reſiſtit, vel etiam occidit, juſta defenſio, probata dicatur. 3. Quia jubent leges indiſtinctè, ut quicquid quis ad ſalutem corporis fecerit, jure feciſſe dicatur. Id autem facimus ad ſalutem corporis, quo vim & injuriam propulſamus; non tam illatam, ſiquidem ea repelli non poteſt, (neque enim quod in corpore læſum eſt, ſic re-

Weſemb. Conſil. 19. n. 14. ibid. alii. l. 3. D. de Juſt. & jur. l. 1. §. vim vi D. de vi & vi armat. l. 1. Cod. Vnde vi.

reſtituitur) quam quidem inferendam, & impendentem. 4. Quia qui primùm ictum exſpectat, & excipit, ſe objicit maximo diſcrimini, ſi non vitæ, ſaltem mutilationis corporis & membrorum. In tantùm, ut etiam in poſterum brachio forte trajecto, vel aliâ corporis parte læsâ, minus reddatur idoneus, ſemet adverſus truculentum adverſarium defendendi. Tumque nihil ipſi relliquum foret, niſi ut ab adverſario indignis modis tractaretur, etiam ad ejuſdem lubitum tandem occideretur. Proinde jura permittunt, ut malo naſcenti tempeſtivè occurratur, ne poſt cauſam deſperatám, remedia fruſtra quærantur. Idque ex illo trito: *Principiis obſta; ſero medicina paratur.* (l. 1. Cod. Quando cuique lic. ſine jud.)

Neque hiſce obſtat. 1. Quod Alfenus juriſconſultus alibi re- (l. 52. §. 1. D. Ad leg. Aquil.)

reſpondeat, culpam penes eum reſidere, qui prior flagello percuſſerat; ut primus ictus videatur exſpectandus. Reſpondeo enim in delictis non tam finem & exitum, quam quidem principium, & præparamenta inſpici ſolere. Unde ſi qui auctor erat rixæ, primùm percuſſiſſet, penes eum culpa erat, quod ab eodem pugna habuerit initium, quę facti ſpecies eſt in reſponſo objecto. Verùm aliter ſeſe res habet in caſu noſtro, ubi qui ferit adverſarium invadentem, & iniquum aggreſſorem, cauſam percuſſionis aut delicti nullam præbuit; ut extra culpam ſit conſtitutus. Neque obſtat 2. Quod non teneatur pœnâ l. Corneliæ de Sicariis, qui gladium ſtrinxerit, niſi etiam percuſſerit. Reſpondeo enim, ut judex ordinariam l. Corneliæ pœnam irrogare valeat, non ſuffi-

l. 1. § 3. D. Ad l. Cornel. de Sicar.

ſufficere, gladium à quopiam ſtringi, niſi etiam acceſſerit percuſſio, ſaltem adfuerit conatus percutiendi manifeſtatus aliquo indicio. Ut ita de intentione & animo aggreſſoris judici magis conſtare poſſit, adeoque de abſolutione vel condemnatione faciendâ, liquere. Ut vero alicui permiſſum ſit ſe tueri, ſufficit eum in dubio vitæ diſcrimine conſtitutum eſſe. Quod tunc imminere judicatur, cum aliquis eundem, armatum manu, licet nondum percuſſerit, aggreditur. Terror quippe armorum inducit vitæ diſcrimen.

Vid. Conſtit. Car. crim art. 139. Jul. Clar. in §. Homicid. num. 33. Mynſ. Reſp. 27. n. 2 Gail. obſerv. libr. 2. obſ. 110. n. 13. Harpr. tract. crim ad §. 5. Inſt. de Publ. judic. n. 83 & ſeq. Gilhauſ. arbor. crim. c. 2. tit. 12. n. 24.

Neque obſtat 3. Quod de jure dicatur illatam vim eſſe propulſandam. Neque cenſeatur illata, quæ eſt inferenda. Reſpondeo enim ſatis ſuperque vim alicui illatam cenſeri, ſi adverſarius ſtricto mucrone aliquem aggrediatur, licet non-

l. 1. Cod. Vnde Vi. Damh. Enchir. Par. & ſimil in v. *in actu. eſſe.* & v. *Proxim.*

nondum percuſſerit, aut vulnus inflixerit. Neque enim ſemper requiritur, ut adſit effectus, aut finis obtentus, verum ſufficit hic finis intentus, & quidem impetus. Cumque paria in jure ſint actus, & actui potentia proxima. Etiam vis cenſebitur illata, quæ eſt in proximâ potentiâ, mox in actum, ni præpediatur, deducenda.

Weſemb. Conſil. 19. n. 48. Barboſ. Princ. & Axiom. in v. Potentia. n. 33.

Atque huic ſententiæ ex jure civili ſtabilitæ etiam ſuffragatur jus divinum, quod ſalutis corporis gratia, talem permittit defenſionem. Idque confirmatur 1. Exemplo furis nocturni, qui licitè interficitur, licet nihil certi de ejuſdem intentione ſtatui potuerit, licet nec petierit, aut vulneraverit patrem familias. Attamen quia metus erat, ne animo occidendi in ædes irruerit, adeoque nos inopinatos opprimere

Exod c. 22.

Auguſt. quæſt. 84. in Exod.

Digitized by Google

re potuerit, noluit Deus, ut primùm ictum ab illo nocturno graſſatore exſpectaremus, verùm ſi eum præveniendo occidamus, impune nos hoc facturos, ac laturos, edixit. Et ſolent Theologi ad illum ſcripturæ locum eandem rationem exprimere, quam juriſconſulti tradiderunt. Scilicet quod merito ignoret paterfamilias, num veniat fur nocturnus occidendi animo, num vero furandi. Quaſi dicant, juſtum armorum metum, ac tenorem non vanum vulneris vel cædis, etiam juſtam cauſam eſſe, cur adverſarium interficiamus.

Confirmatur hoc 2. Effato illo Paulino. Nemo unquam odio habuit propriam carnem, verum eam fovet, atque nutrit. Aſt qui primùm ictum exſpectat & periculo ſe ſubjicit mutilationis membrorum ac Epheſ. 5. v. 29.

vitæ,

vitæ, vulnerari ſe patitur in hoc effatum impingit. Cùm tamen ſervare, & curare potuiſſet imo debuiſſet propriam carnem, non exſpectando ictũ primum, verùm primum inferendo, adeoque plagas inferendas avertendo. Potior enim hoc in caſu noſtri ipſius, quam proximi injuriantis debebit eſſe conditio.

Confirmatur hoc 3. Quia quando aliquid jure divino permittitur ut licitum, etiam illud cenſetur eſſe permiſſum, niſi fortior obſtet ratio, per quod pervenitur ad illud. Cùm qui vult conſequens, etiam cenſeatur velle antecedens, ſine quo conſequens obtineri non poteſt. Verùm cum in ſacrâ paginâ nobis injungatur amor & conſervatio noſtri; etjam unâ operâ injunctum cenſebitur, quo amorem manifeſtemus, & noſtri conſervationem

nem procuremus. Id vero agimus, ſi in anteceſſum ictum ab adverſario inferendum avertamus, etiam adverſarium præveniendo, qui eum inferre conatur.

Ubi tamen ſummopere attendendum, ne in periculis conſtituti, à charitate chriſtianâ, omnibus commendatâ, deviemus, neve injuriam propulſando, aliquid demus affectubus, adeoque modum, ſaltem inſpectâ causâ, excedamus. Etiam, ſi cogamur primum ictum inferre, leve vulnus infligamus, quantum fieri poterit, & ita deſiſtamus, contenti adverſarium vulnere non lethali impeditum, quo minus in nos inſurgat, noſque eâ ratione ab imminenti periculo liberatos. Si enim quiſpiam poſtquam primum ictum adverſario intulit, forte ejuſdem manum mutilando, aut pedem,

dem, ne inſequatur, ab imminenti periculo liberatus, nihilominus illi necem intentaverit, non ſolum non tutus erit in conſcientiâ, verùm etiam in foro ſoli in culpâ conſtituetur, arbitrariâ pœnâ puniendus, ut qui legitimæ defenſionis modum exceſſerit.

Cap. XX.

Defenſio neceſſaria utrum licita adverſus Magiſtratum?

Clar. §. Homicidium. n. 29. Berlich. part. 4. Concl. 1.2. n. 29. 30. Leſſ. de juſt. & jur. l. 2. cap. 9. dub. 8. Obrecht. tract. de

DEfenſio ſui ipſius, quæ cum moderamine fit tutelæ inculpatæ, adeo eſt favorabilis, ut conceſſa ſit cuivis adverſus quemvis, ſervo adverſus dominum, Vaſallo adverſus ſeniorem, liberto adverſus patronum, filio adverſus parentem; quinimo ſubditis adverſus ſuperiores. Neque quiſpiam in conſcientiâ deliquiſſe

quiſſe dicetur, ſi magiſtrum ut privatum, vim inferentem repellat; etiam cum aliter periculum evitare non poſſet, occidat.

Neceſſ. defenſ. c. 6. n 33. Tulden. tit. Cod. Quand. liceat cuique ſine jud.

Idque probatur de jure civili. 1. Quia vim vi repellere, lex indiſtinctè permittit. Et cum lex loquatur generaliter, neque diſtinguat inter perſonam publicam, & privatam, noſtrum non erit diſtinctionem non allegatam in lege, allegare. Erubeſcimus enim ſine lege loqui. 2. Quia vim atque injuriam propulſare juris eſt naturæ. Ut cuivis id liceat adverſus quemvis. Ratio rationis eſt, quia quæ juris ſunt naturalis, immutari non poſſunt, neque quod attinet jus naturale, ratione conditionis aut dignitatis hominis ulla eſt diſtinctio. Vt quicunque in jus naturæ impingit, effectum juris naturæ experiri de-

Mynſing. cent. 5. Obſ. 18. l. 3. D de Juſt. & jur. l. 5. Cod. de jur. fiſc. libr. 10. l. 1. §. cum arietes. D. ſi quadr. l. 31. D. de Regul. jur.

debeat, id eſt, adverſus illicitam offenſionem juſtam adhiberi defenſionem.

Neque hic diſtinguo, uti nonnulli volunt, inter Principem & inferiorem magiſtratum, quaſi illi nemo rectè reſtiterit, huic vero reſiſti poſſit. Quod forte ex illius interitu ſequeretur magnum reipublicæ detrimentum, quodque etiam Principi gravia Imperanti parendum ſit. Neque enim qui Principi reſiſtit detrimentum intendit reipublicæ, neque per ſe reipublicæ obeſt commodis, etſi forte ex accidenti tale quid evenire poſſit. Præterquam quod non ſit probabile, Principem, qui Patriæ velit eſſe columen, ſine causâ in ſubditum ſęvire velle, eumque ſine ſtrepitu judicii, ſine formâ proceſſus, è medio tollere. Ne dicam, aliud quid eſſe Principi dura Imperanti obedien-

diendum eſſe, & aliud Principi ſi violentas manus inferat, neglecto procedendi modo, reſiſtendum non eſſe. Ibi enim ſi patimur, nihil agimus adverſus jus naturale. Hic, ſi nos occidi patimur in naturæ legem, & inclinationem impingimus. Neque enim vox Principis lex eſt, ſupra naturæ leges; ut nec alicui Princeps mandare poſſit, quod eſt contra jus naturale, puta ut quis ſibi mortem conſciſcat, ne ſe adverſus latronem tueatur, & quæ ſunt hujus generis alia.

Neque obſtat 1. Quod ei non licite quis reſiſtat, qui forte in officii executione modum excedit. Reſp. enim. Aut quis excedit in officio, aut excedit ſuum officium. Si in officio, ei reſiſtendum non eſt. Si vero officii limites tranſgrediatur, eos actus exſerat, qui officii non ſunt, quia pro privato habetur,

betur, ei impune reſiſti poteſt.

l. 5. Cod. Quorum appell. non rec. Neque obſtat 2. Quod quis potius adhibitâ juris formâ experiri debeat, quam ut reſiſtat perſonę publicæ. Quia ſi periculum in morâ non ſit, actione, aut alio quo juris remedio experiri debebit. Ita ab executore, qui habet exequendi mandatum, appellare debebit conventus, ſi modum in exequendo exceſſerit; quem tamen ſi ſine mandato alicujus bona capiat, licitè repellimus.

Neque 3. obſtat exemplum Davidis, qui ſocero Saulo manus inferre noluit, àddita hac ratione, quod eſſet unctus domini. Neque enim Saul, ut privata, ſed ut publica perſona Davidem inſequebatur, cui, licet in officio excederet, reſiſtendum non erat. Verùm cogitandum erat illud Senecæ, ſi innocentem inſequitur, cede fortunæ. Ne dicam Davidem

Senec. 2. de Ira. 30.

non-

nondum conſtitutum fuiſſe in extremo vitæ periculo, cum fugere potuerit, alioque medio conſulere ſaluti propriæ, & incolumitati. Et forte dici poterit, Davidem tum temporis aliquid de ſuo jure remiſiſſe cũ filii Seruja ſtricto jure Saulo necem intentaſſent. Neque denique obſtat ſententia Paulina. Qui reſiſtit magiſtratui, divinę reſiſtit ordinationi. Roman. cap. 13. v. 1, 2.
Nam Apoſtolus ibi loquitur de privatis perſonis ſeſe opponentibus ſuperioribus, & quidem in iis rebus, quæ ipſorum ſpectant officium. Verùm nos loquimur in caſu, quo non tam reſiſtimus ordinationi ſuperioris, quam repellimus malum iniquè nobis illatum. Neque tam reſiſtimus perſonis publicis, quam privatis, qui id agunt, quod ad ipſorum officium non ſpectabat. Ut hâc in parte, jure merito privatis ſint annumerandi. CAP.

CAP. XXI.

Utrum eum liceat occidere, qui aliquem aggreditur, animo tantum mutilandi?

QUemadmodum in moderamine inculpatæ tutelæ non neceſſario requiritur ut præſens ſit mortis periculum; ita non ſemper opus eſt, ut proxime immineat periculum mortis; quod ſufficiat adeſſe vulneris periculum, aut mutilationis membrorum. Idque verum de jure canonum, quo irregularitatem non incurrit, qui ſeipſum defendens, adverſus mutilare volentem, aggreſſorem occidit. Mors enim & membri mutilatio in caſu ſubjecto habentur pro æquipollentibus. Idque etiam procedit de jure civili, quod non ſemper exigit defendentem eſſe in mortis periculo, ſed ſufficere

Covarr. 3. part. Releƈt. c. quamvis paƈt.

ficere adeſſe aliquod periculum, adverſus quod ſe licitè tuetur. Defenſor enim propriæ ſalutis in nullo peccaſſe videri poteſt. Verùm non ille tantum ſalutis eſt defenſor, qui mortem avertit, ſed etiam qui vulnera, qui membri amputationem. Ampliùs quicunque ſe vulnerari patitur, nullo modo ſe tuetur. Quod tamen omni jure poteſt. Vt ſi mutilantem occidat, tantum beneficio legis uſus fuiſſe dicatur. Quid quod impunè quis furem occidat, cui ſine periculo ſuo parcere non potuit. Ut qui mutilantem occidit, ideo excuſetur, quod aliter periculum evitare non potuerit. Denique id indiſtinctè permiſſum cuivis, quod ad tutelam ſui corporis fecerit. Verùm non ille tantum qui necare volentem occidit, aliquid fecit ad corporis tutelam, ſed & vo-

l. 3. Cod. Ad l. Cornel. de Sicar.

l. 45. §. 4. D. Ad l. Aquil.

l. 9. Cod. Ad l. Cornel. de Sicar.

H len-

volentem mutilare. Neque enim defenſio corporis tantum in mortis conſiſtit propulſatione, ſed etiam vulnerum averſione. Cùm etiam ad vulnera, quæ ad menſuram non infliguntur, ad membri amputationem mors nonnunquam ſubſequatur.

Idem ſuadent, omnes illæ rationes Scripturariæ, quibus neceſſariam defenſionem etiam in conſcientiæ foro licitam eſſe demonſtrabatur. Neque in contrarium ſuadet, quòd leges loquantur de periculo mortis avertendo; ut ſi tale periculum non ſit, nec videatur aggreſſor licitè necari. Reſpondeo enim, quia intentioni lædentis, non ſemper reſpondet eventus, neque vulnera ad modum infliguntur, ideo adverſus eum, qui vulnerare voluit, tanquam adverſus aggreſſorem iniquum & latronem

noſ-

noſmet jure tuemur. Vbi enim vulnus infligitur, ibi mortis imminet periculum ſi non proxime, ſaltem remote, & in potentiâ. Præterquam, quod ex aliis juris textubus manifeſtè appareat, etiam ubi proximè mortis periculum non eſt, aggreſſorem impune occidi poſſe.

CAP. XXII.

Utrum fugere teneatur, qui fugere potuit?

ET ſi inſultatus, periculum quantum in ſe eſt evitare teneatur, in tantum etiam, ut ſi inſultantem interimat, modo aliter ſibi conſulere potuiſſet, in l. Corneliam de Sicariis incidat. Tamen quia nonnunquam, ſi non plerumque, qui fugæ ſe mandat, in periculum incidit, dicendum eum non

ſemper fugere teneri. Ratio 1. eſt, quia ille extra culpam conſtituitur, qui aliter adverſus vim & injuriam ſe tueri non potuit, quam id faciendo quod fecit. Verùm qui loco conſiſtit, non aliter ſe potuit tueri. Igitur & extra culpam eo caſu conſtituetur. Ratio 2. eſt. Quia nemo tenetur tale evadendi medium eligere, quod ſibi maxime periculoſum eſt, & quo electo, in majus ſæpiſſime periculum incideret. Verùm qui fugit, medium evadendi maxime periculoſum eligit. Ergo. Unde etiam in jure nullibi dicitur, quod quis fugere teneatur, verum tantum quod periculum effugere debeat. Idque non tam fugiendo, quam avertendo malum illatum, adverſarium vulnerando, aut necando. Quid, quod ideo dixero, neminem præciſe fugere teneri, quod ipſa fuga quando-
que

que ſit injuria, quam quis ſubire non tenetur.

Si tamen fugiendo periculum effugere potuerit, fugere certe tenebitur. Unde qui maluit reſiſtere loripedi, vel cui pes amputatus eſt, quam fugere, ſeſe in periculum conjeciſſe dicetur, ut ſi *adverſarium* necaverit, non ſit extra culpam conſtitutus.

Nec diſſentiunt canones, qui non aliter fugam ſuadent, quam ſi periculum per eam evitare valeamus. Neque hic quicquam obeſt præceptum Chriſti, quaſi indiſtincte fugiendum ſit, quando fugiendum ſtatuit de unâ civitate in aliam. Ibi enim perſecutio propter fidem præſupponitur, ut fugâ opus ſit, non reſiſtentiâ. Præterquam quod authoritate publicâ illa perſecutio ſit inſtituta, cui parendum eſt, licet dura imponantur. Verùm in caſu

ſu noſtro propoſito loquimur de privatis vim nobis inferentibus, quibus impunè noſmet opponimus, ut, ſi fuga tuta non ſit aut ſalutaris, recte noſtrum locum tueamur, injuriam propulſaturi.

Neque tamen hic audiendi Doctores, qui diſtinguunt inter plebejos & nobiles. Inter ruſticos & milites, quaſi hiſce fuga ſit ignominioſa, adeoque fugere non debeant, illis non item. Et quia circa neceſſariam defenſionem, quæ juris eſt naturæ, idem propulſationis modus in omnibus adhibendus eſt: quod illud jus non diſtinguat inter ruſticos & milites, plebejos & nobiles. Ut fruſtra nos aliquam diſtinctionem adhiberi velimus. Et quia nulla ignominia eum manere poteſt, qui maluit ad tempus cedere furenti. Militi quidem ex acie fugere, ſtationem ſibi

Tiraq. de Nobil. c. 20. n. 63. aliique ibidem. Gilhauſ. Arbor. Crim. c. 2. tit. 12. n. 26. Conſtit. crim. Carol. art. 140.

l. 3. D. juſt. & jur. § jus autem gentium. Inſtit. jur. nat. gent. civil. Init. Inſtit. in fin. de liberin.

ab imperatore exercitus aſſignatam deſerere, turpe eſt & ignominioſum. Verùm aggreſſorem, quem te inferiorem & viribus & armis noviſti, ad tempus vitaſſe, non in probro, ſed in laude poſitum erit. Ne dicã, iniquam fore commutationem, ſi quis ob tutelam honoris, qui ad mores probos non ſpectat, nec reipublicæ utilis eſt, vitam adimat proximo. Cùm ille quidem reſarciri poſſit, hæc vero nunquam repeti, aut revocari.

Anton. Matth. loc. alleg.

Cap. XXIII.

Utrum mortem minantem liceat occidere?

NOn ſemper ad juſtam defenſionem requiritur, ut quis percutiat, aut inferat vulnus, verum quandoque ſufficit armorum metus, atque terror.

Quandoque ſufficit anteceſſiſſe minas atrociores, id eſt tales, quæ ſi effectum ſortirentur, grandi periculo ſubjicerent defenſorem. Probatur hæc aſſertio de jure civili. *Mortem* inquit Imperator, *quam minabatur excipiat, & id quod intendebat, incurrat.* Loquitur de milite nocturno agrorum populatore, qui hominis occidendi gratiâ cum telo obambulabat. Nec deſunt juridicæ rationes. 1. Quia terror armorum præſens ad juſtam ſufficit defenſionem, modo vanus non ſit, eo quod provocatum in ſummum vitę diſcrimen adducere poſſit. 2. Quia conſultius eſt, in tempore malo occurre, quam poſt exitum ſemet fruſtra vindicare. Et melius eſt, jura infacta ſervare, quam poſt vulneratam cauſam remedia inveſtigare. 3. Quia de jure pro facto accipitur, quod quis executioni man-

l. 1. Cod. quand. lic. cuique ſine jud. Gilhauſ. Arbor. crim. c. 2. tit. 12. Gail. de Pac. publ. libr. 1. cap. 16. d. l. 1. Cod. l. ult. in fin. Cod. In quibus cauſ. in Integr. Reſt. neceſſ. non eſt.

mandare voluit, quantum in ſe fuit, etſi per alium mora erat, quo minus id fieret, aut quod intentum non ſortiretur effectum. 4. Quia nonnunquam ex minis majus imminere, vel reſultare poterit damnum, quam ex vulnere, ab illo illato, qui tantum mutilare volebat. Ut ſi hoc caſu occidere liceat aggreſſorem, & illo liceat. l. 39. D. de Reg. jur.

Ita ſi aggreſſor, aliquem minitetur ſclopo, eumque habeat in parato, ut vel ad nutũ cujuſvis eũ exoneret, nihil amplius exſpectandũ erit; cum non aliter aggreſſus ſe tueri valeat, quam ſi minantem occiderit aggreſſorem. Hic enim ridiculum foret exſpectare, donec minas exequutus fuiſſet adverſarius, quod executio certam mortem eſſet allatura. Neque adverſatur, quod minæ referri nequeant, ad vim illatam, ſed Tolet. Inſtrüct. Sacerd. l. 5, c. 6.

potius inferendam: cum tamen legibus tantum permiſſum ſit illatam injuriam propulſare. Reſpondeo enim, ſatis videri vim illatam; quando terrorem alicui incutimus, quando ea adſunt, ad quæ quam proximè, tanquam ad cauſam mors aggreſſi ſubſequeretur.

l. 1. Cod. Vnde vi.

CAP. XXIV.

Utrum ad defenſionem pudicitiæ ſtuprare volentem liceat necare?

CVM honor præcipuus ſit hominis Theſaurus, in tantum ut ejus amittendi periculum vitæ periculo æquiparetur; puelliſque ac pueris metus ſtupri major eſſe ſoleat, metu mortis. Controverſum eſt apud Doctores, num liceat ſtuprum inferre volentem, niſi aliter illud evitari nequeat, ad mor-

mortem uſq; vulnerare? Reſp. licet Romanis id olim fuerit permiſſum, & adoleſcens, qui tribunum occiderat, volentem vim inferre ejus pudicitiæ, à Mario exercitus Imperatore fuerit abſolutus. Idque congruenter conſtitutum legibus civilibus, qui ſtatuunt eum, qui ſtuprum ſibi vel ſuis per vim inferentem occidit, dimittendum eſſe. Quod etiam Interpretes probant, & caſuiſtæ communi conſenſu. Exiſtumarem tamen eum eamve non ſatis tutum fore in conſcientiâ, qui quævis ſtupratorem violentum occidit. Et quia nihil decedit, aut detrahitur honori ejus, qui ſtuprum paſſus eſt. Cùm ſemet habeat merè paſſivè, neque in actum libidinis ullum adhibuerit conſenſum. Licet enim corpus ſtupretur, non tamen vita adimitur, & pudica mens

Cicero Orat. pro Milon. Grot. lib. 2. c. 1. de jure bell. & Pac. l. 8. §. pen. D. Quod met. cauſ. l. 1. §. 4. D. Ad l. Cornel. de Sicar. Berlich. concluſ. 12. part. 4 n. 40. Tolet. Inſtruct. Sacerd. lib. 5. c. 6. Navarr.

erat, quæ lædi aut ſtuprari non potuit. Cumque ne quidem honoris defendendi gratiâ adverſarium necare liceat, multo minus ſtupri avertendi gratia; cum qui ſtuprum paſſus eſt, honorem nullum amiſerit. Vnde etiam ſecundum Carolinam conſtitutionem, is demum extra pœnam legis eſt in foro externo, qui ſtuprum inferentem in ſuâ domo occidit, non ſi alibi. Quaſi tum videatur ſtupri averſio aliquam periculi averſionem comitem habere. Quod cuique ſua domus tutiſſimum ſit refugium. Accedit quod determinari præciſe nequeat, quo temporis momento impunè liceat violentum necare ſtupratorem, an dum attentat pudicitiam, an dum actui ſtuprationis ejus violentia proxima eſt, & quando cenſeatur actui eſſe proxima? Vt potius aſtu, blanditiis, ſcal-

Leſſ. l. 2. c 9. dub. 12. de juſt. & jur. Conſtit. Car. crim. art. 150. in Princ. Placent. de Accuſ. tit. 4. circa finem.

ſcalpris, morſu, aliiſque remediis avertere quis debeat ſtupratorem, quam ut defenſio illa pudicitiæ ſeſe uſque ad mortem ſtupratoris extendat. Ne dicam, quod nullibi in ſacrâ paginâ, tale remedium protegendi pudicitiam præſcribatur. Nam quando ſermo de virgine, cui vis inferebatur, non ei hic defenſionis modus præfigitur, ut violatorem interficiat, verum ne conſentiat, ut renitatur, ut reſiſtat, ut exclamet. Igitur ſi reſiſterit, ſi exclamaverit, neque quiſpiam in auxilium accurrerit, & vim illatam pertulerit erit extra noxam conſtituta. Neque illos audio, qui objiciunt, quod injuria ſit morte major. Illud enim ita verum eſt, quod quandoque quis malit mortem ſubire, quam injuriam pati; non quod injuria æque ac vita defendi poſſit. Et exem-

pla illuſtrium virginum hoc ipſum etiam probarunt, quævis potius eſſe ferenda, quam ut ſanguine ſtuprare volentis manus polluantur. Exemplū illuſtre virginis Chriſtianæ ſuggerunt Schutzii Chronica. Ladiſlaus Poloniæ rex irruptionem fecerat in Marchiam Brandeburgenſem. In quâ eruptione monaſterium quoddam capitur, ac ſimul virgo nobiliſſima à Bojaro belli duce intercipitur. Is formâ virginis ac pulchritudine corporis, quod pulcherrimum habebat accenſus, eam blanditiis attentat, utque ſui corporis faceret copiam, rogat. Quod ut facilitate impetrare non potuit, minis atque violentia eam aggreditur. Virgo, cum ſe imparem homini ferocienti animadvertit, verbis ac lacrymis eū obteſtatur, ut ſibi parcat, additâ promiſſione, ſe

Keckerm in ſuis diſpoſ. Orator. ex Chron. Schutzii.

tale

tale munus oblaturam, quo ſi potiatur, fore, ut à nullo unquam mortalium vulnerari poſſet. Bojarus, etſi animo libidinem explere decreverat, virgini tamen pollicetur, donec, quam artem eſſe magicam autumabat, addidiciſſet, fore ut cum vitâ pudicitiam ſalvam retineret. Age, igitur, inquit, virgo, verba adhibebo pauciſſima, quorum efficaciam in meo ipſius corpore hoc momento licebit experiri. In genua procumbit, ac parata mori, clarâ voce verba recitat Latina. *In manus tuas commendo ſpiritum meum domine.* Quorum cum Bojarus ignarus eſſet, putans magica, quibus virgo contra ferrum omne munita foret, acinacem evaginavit, ac virginis exporrectam cervicem, hortantis ut confidenter cæderet, tanquam certiſſimum artis experimentum ſumpturus,

uno

uno amputavit ictu. Quo facto vidit Bojarus ſe mulieris aſtu deluſum, cui pudicitia omni vitâ carior erat. Eſt etiam exemplum virginum Antiochenarum duarum, quæ ne ab impuris militibus violarentur, ſuaſu matris ſeſe in aquam pręcipites dederunt. Quæ exempla hactenus allata, licet per omnia, nec in omnibus ſint probanda, ſatis tamen demonſtrant, vel quidvis eſſe ferendum, quam ut violento ſtupratori vita adimatur.

Euſeb. l. 8. c. 18.

CAP. XXV.

Utrum, qui moderamine adhibito aggreſſorem occidit, in mulctam pecuniariam aut in impenſas ſit condemnandus?

ETſi de conſuetudine Saxoniæ, receptum ſit, ut qui ad ſui defenſionem hominem vul-

vulneravit, aut occidit, judici mulctam, interfecti agnatis integrum *werigeldum* ſolvere cogatur; æquiſſimum tamen putaverim, idque de jure communi veriſſimum eſt, eum qui moderamen inculpatæ tutelæ non exceſſit, nec fiſco teneri, nec aggreſſoris interfecti amicis. Ratio 1. eſt. Quia qui utitur ſuo jure nemini facit injuriam. Verùm qui id facit quod omnia jura permittunt, utitur jure ſuo. Ergo injuriam facere dicendus non eſt. Ratio 2. eſt. Quia qui hominem caſu quo occidit, ſi caſum antecederet aliquâ culpâ, ex l. Aquiliâ in pœnam pecuniariam condemnatur. Igitur qui nullâ antecedente culpâ hominem necavit, & quidem cogente neceſſitate, omnino non tenebitur. Ratio 3. eſt. Quia ubi nihil eſt, quod pœnam, quod animadverſionem meretur, ibi lo-

Boekel. diſq. Pub. 6.
Berlich. concluſ. 12. part. 4. art. 1. 2. 3.

l. 3. D. juſt. & jur l. 45. §. qui cum aliter. D. Ad l. Aquil.

§ 2. 3. Inſtit. Ad l. Aquil. l. 2. D. eod.

locum habere non poteſt mulcta, quæ pœna eſt pecuniaria, officio judicis imponenda. Ceſſante enim cauſâ, ceſſat effectus. Verùm ubi quis ſecundum modum à legibus præſcriptum tuetur vitam, ibi nihil agitur, quod pœnam aut animadverſionem meretur. Ergo. Quid quod nulla adverſus provocatum competat actio, ſi provocantem occiderit, ut nihil debeatur, quo nomine conveniri poſſit. Cùm actio ſit jus perſequendi & exigendi quod ſibi debetur. Ratio 4. eſt. Quia lex non debebit eſſe lata in ejus favorem, qui in legem commiſit. Ut non debeat vulnerari, aut occiſi amicis, qui injuriâ aliquem fuerat adortus applicari ſumma quæ pecuniaria, aut impenſarum reparatio in vulnus factarum. Indignus enim cenſetur beneficio legis, qui legem tranſgredi-

l. 52. §. 1. D. eod. l. 21. Cod. de pœn. l. 1. § 10. D Si quadrup. paup.

ditur. Et auctori damni accepti, ratione damni illati nulla facienda reparatio.

Arg.l. 37. in fin. D. de Minor.

CAP. XXVI.

Utrum defenſio cognatorum aliorumque ſit permiſſa?

UNum injuſtitiæ genus, eorum qui inferunt injurias; & alterum eſt, eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, eas non propulſant. Ut qui non defendit alium, ſecundum Ciceronem, tam ſit in vitio, quam qui patriam aut parentes deſerit. Unde inter interpteres anxie diſputatum, utrum quis ad alterius, in periculo conſtituti defenſionem ſuſcipiendam, de jure ſit obſtrictus? Et licet Bartoli ſententia ſit, quam catervatim doctores ſequuntur, neminem præciſe teneri: cenſerem ta-

Cicero 1. de Offic.

Berlich. concl. 12. part. 4. num. 45. Gilhauſ. Arbor. crim. c. 2. tit. 12. num. 27.

tamen quemcunque abſolute ad defenſionem alterius hominis in periculo conſtituti, obligari. In tantum ut id jure poſſit, etiam occidendo iniquum aggreſſorem.

Bullæus de tribus Gener. jur. Præcept. Bacchov. volum. 2. ad Treutl. diſp. 32. p. 1282. Hieron. Cagnolus ad l. 51. D. de Reg. jur. Covarr. in c. peccatum, de Reg. jur. in 6. part. 2. relect. §. 3. n. 4. Gomeſ. Var reſ. tom. 3. c. 2. n. 9. Franciſcus Viv. Comm. Opinion. in v. defendere offenſum num. 3. Bronch. ad l. 51.

Atque hæc noſtra ſententia etiam præſtantiſſimis placuit juriſconſultis, & in tantum diſplicuit opinio Bartoli, ut Baldus dixerit, eum propter hanc in inferno cruciari. Eſtque Baldi ſententia in tantum vera, ut etiam is, qui proximi defenſionem neglectui habuit, arbitrio judicis ſit puniendus. Leges certe civiles, multis in locis hanc comprobant opinionem. Non tantum enim inter parentes & liberos, alioſque ſanguinis vinculo nobis junctos, natura conſtituit aliquod vinculum, verum etiam aliquam cognationem, & ſociationem inter omnes homines. Vt quemadmodum nefas

faſ eſt hominem homini inſidiari, ita hominem homini opem ferre & auxilium, fas ſit & æquum.

Quinimo uti nefas eſt nocere patriæ, ita & civi, quoniam pars patriæ eſt. Quod ſi nocere nefas, etiam opitulari fas erit. Neque enim membra inter ſe conſentiunt, neque patriæ ſuccurrunt, ad quod omni jure tenentur, niſi ad ſingulorum civium concurrant defenſionem: quod ſingulos ſervari interſit univerſi. Ne dicam, quod de jure civili nihil referat, an quis ipſi ſibi ſuccurrat, an proximo, cui vis infertur. Ut ſi ad defenſionem ſui ipſius recte occidat aggreſſorem, id liceat ad defenſionem proximi, in dubio vitæ diſcrimine conſtituti.

Quid quod ille, qui damnum non prohibet, quod prohibere potuiſſet, quodque fieri paſſus eſt,

D de Reg. jur. Anton. Matth. tract. de Crim. tit. 5. l. 48. c. 2. n. 12. Senec. 2. de Irâ. 31. l. 2. 3. D. de juſt & jur. l. 7. in fin. D de Serv. Exportand.

Arg. l. 8. §. fin. D. quod met. cauſ.

l. 45. in princ. D. Ad l. Aquil.

eſt, de jure teneatur. Id quod Ulpianus pronunciat de domino, qui paſſus eſt aliquem à ſervo occidi, cum eum prohibere potuiſſet.

l. 2. & 3. D. de Noxal. Action.

Manifeſtum id erat in ſervis qui erant de familiâ, qui niſi armis, etiam corporis objectu, cum poſſent, domino periclitanti auxilium tuliſſent, ultimo ſupplicio ſubjiciebantur.

l. 1. §. 28. l. 19. D. Ad Senatuſc. Silanian.

Idem obtinuit in Vaſallis, qui ſi Seniorem periclitantem in prælio deſeruiſſent, feudo merito privabantur.

c. unic. §. ſi quis miles. tit. de feud. ſin culp. nō amitt.

Neque obſtat. 1. Quod Ulpianus ex Pomponio refert licere cuipiam ab alio pecuniam ſtipulari, & accipere hunc in finèm, ut ipſum adverſus hoſtium incurſus tueatur. Unde inferri poſſe videtur, gratuito & ex officio neminem ad alterius defenſionem eſſe obſtrictum. Quod turpiter agere videretur, pecuniam accipiendo, quo

l. 9. §. 1. D. quod met. cauſ.

quo magis ſuum ageret officium. Reſpondeo enim, hoc tum demum procedere, quando quis alteri operam defenſionis locat ad vitæ dies, vel ad certum tempus; quod citra turpitudinis notam permiſſum eſt, atque licitum. Neque enim quiſpiam tenetur, niſi qui forte eſt de famulitio, aliquem perpetuo comitari, aut ejuſdem curam gerere, niſi ad hoc datâ mercede, aut promiſſo honorario, vel conductus ſit, vel gratis ſuam operam addixerit. Verùm hic non eſt caſus propoſitus, quando fortuito & caſualiter quiſpiam in manus latronum incidit, qui illius vitæ inſidiantur. Tunc enim qui non juvat & tuetur periclitantem, etiam ſi de mercede, aut ſalario conventum non ſit, æquè tenetur, ac ſi vim innocenti intuliſſet.

Neque obſtat. 2. Quod non ſit

l. 1. D. de Reg. jur. & regula jur. in 6. *non eſt ſine culpâ.*

ſit extra culpam, qui ſeſe negotio alieno immiſcet. Reſpondeo enim, eum alienum negotium non gerere, neque ſeſe immiſcere rei ad ſe non pertinenti, qui id facit, ad quod naturæ lege, & officii neceſſitate eſt obſtrictus.

Neque obſtat 3. Quod paſſim in legibus agatur de proprii corporis defenſione. Neque enim hoc ipſum ſtatuitur ad excluſionem corporis alterius; quod ſatis ſit id aliis legibus eſſe expreſſum.

Nec juri civili praxis adverſatur, uti notat Berlichius antea allegatus. Et tradit Igneus, in tantum hoc obſervari, ut ſi in conſpectu multorum, qui rixantes prohibere potuiſſent, ne ſe mutuo offenderent, homicidium fuerit commiſſum, omnes à Principe litteras, quas innocentiæ vocant, obtinere teneantur; qui-

bus ſeſe extra culpam conſtitutos fuiſſe, docere poſſint.

Hanc itidem ſententiam canones multis in locis comprobarunt. Ita enim ex ſententiâ Ambroſii dicitur. *Fortitudo, quæ vel in bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena juſtitiæ eſt.* Et alibi. *Qui non repellit à ſocio injuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quam qui facit. &, qui deſinit obviare cum poteſt, conſentit. &, qui poteſt obviare, & perturbare perverſos, & non facit, nihil aliud eſt, quam favere eorum impietati.*

Et licet plerique canoniſtæ, hoſce canones tantum ad conſcientiæ forum reſtringant: dicendum tamen videtur, illos etiam ad forum contentioſum referendos eſſe, quod rationes eorum ſint prorſus generales, adeoque omnibus dictæ ac dictatæ. Id enim uſitatum eſt in

jure canonico, ut ſi aliquid aliter obtinere velit in conſcientiæ foro, quam in foro judiciali, id in ſpecie exprimat. Neque diſſidet jus divinum, quod exemplis & rationibus confirmari poteſt. Ratio 1. eſt. Quia qui fratrem odio habet, eundem occidiſſe cenſebitur. Quod qui odio eum habeat, pro homicidâ habeatur. Verum, qui eundem non tuetur, qui non confert ea vitæ adminicula, quæ conferre poterat, qui fratri periclitanti non ſuccurrit, eum odio habet. Ut occidiſſe ſit dicendus. Idque ſecundum illud Lactantii, qui ſuccurrere perituro poteſt, ſi non ſuccurrit, occidit. Ratio 2. eſt. Quia ſicuti quiſque tenetur ſemet adverſus vim atque injuriam tueri, ita etiam obligatur, ut proximi vitam, quantum in ſe eſt, tueatur: ut qui illi charitatis nexu conjunctus eſt.

Lactant. divin. Inſtit. l. 6. c. 11.

eſt. Quiſque enim ex placito Matth.
divino, proximum diligere te- 22. v. 39. Luc. 10.
netur, ſicut ſemetipſum. Ra- v. 27.
tio 3. eſt. Quia charitatis & Actor. 7. v. 14.
juſtitiæ præceptum ſuadet, ne Prov. 24.
innocens opprimatur, ab ini- v. 11. 1. Joh c. 3.
quo aggreſſore: verum, ut ſi v. 16. Jo-
alterum perire neceſſum ſit han c. 15.
potius violentus pereat op- v. 13. & Epheſ. 5.
preſſor, quam is, cui innocen- v. 2.
tia patrocinatur. Ratio 4. eſt.
Quia expreſſum eſt divinum
mandatum, ut pro fratribus
ponamus animas. Et ea lex
dicitur eſſe charitatis, ut vitam
pro amicis exponamus. Ratio
5. eſt. Quia quod tibi in caſu Matth. c.
ſimili fieri velis, idem fac aliis. 7.
Verum quivis in mortis peri-
culo conſtitutus ſibi ſuccurri
deſideraret, ut idem etiam in
gratiam eorum, qui oppri-
muntur facere teneatur.

Neque deſunt exempla vi-
rorum ſanctorum, qui glorio-
ſum hoc duxerunt periclitan-

Exod. c. 2. Actor. c. 7. v. 27. tibus opitulari. Ita Moſes virum Ægyptium, indignis modis tractantem ac percutientem, quendam ex Hebræis, fratribus ſeu cognatis impigre occidit. Quod etiam factum S. Spiritus per Stephanum protomartyrem comprobavit. Gen. 14. v. 14. & ſeq. Abraham itidem ad defenſionem ſui nepotis Lothi contra vim regum qui Sodomitas ſubjugaverant, familiam ſuam armavit; factoque illi acceſſit Dict. c. 14. v. 19. 20. approbatio divina. Melchiſedeck enim ei à cæde regum redeunti factus obviam benedixit, Deoque gratias egit, pro ejuſdem liberatione.

CAP. XXVII.

Vtrum ad ſolam rerum defenſionem furem occidere liceat?

TAnta eſt inter homines auri ſacra fames, tanta bonorum

rum hujus vitæ, æſtimatio, ut quæ tanquam caduca ac fragilia contemnenda forent, ſubinde hominum vitæ, rei inæſtimabili præferantur, atque defenſionis eorum gratiâ, humanâ cæde manus polluantur. Adeo autem hæc rerum cupiditas hominum animos invaſit, ut non deſint, qui ei patrôcinium prȩſtare velint; exiſtumantes etiam propter res leviculas nobis ereptas; inque earum defenſionem auferentem eas occidi jure poſſe. Inter caſuiſtas præcipui hoc affirmantes ſunt illi, qui ſectatores Jeſu appellari volunt. Quorum tamen ſententia à Theologis Pariſienſibus, utpote humano generi perniciosa, condemnatur, eorumque propugnatores acerbis modis perſtringuntur.

Me quod ſpectat, non poſſum non ſequi eorum opinionem, (quicquid in contrarium ad-

ducant juriſconſulti plurimi) qui ſtatuunt, propter ſolam rerum defenſionem nefas eſſe furem occidere. Eam confirmaturus, & civili, & canonico, & divino jure.

Probatur hoc de jure civili 1. Quia majus ponitur momentum vitę hominum, quam bonorum. Ut bonis noſtris vita poſtponenda non ſit, & ut loquitur Imperator, abſurdum foret non præferri animas hominum quibuſcunque vaſis, vel veſtimentis. Cui etiam hoc conveniens eſt, pœnam non fore delicto proportionatam, ſi propter res viles ablatas, id quod eſt inæſtimabile viciſſim auferatur. 2. Quia æquum non eſt, ut quiſque tanto cum damno proximi ſibi jus dicat, quod minore forte cum damno per judicem repoſcere poteſt.

Sancimus. in fin Cod. de Sacr. Eccleſ.

l. Sancimus. Cod de Pœn.

Arg. l. libertas. D. de Reg. jur.

Aut ſi non poſſit, nimis crudele adhibet remedium, immi-

mitius quam ipſe judex adhibuiſſet, ſi furem deprehenſum meritis pœnis ſubjeciſſet. Ut non debeat plus licere privato, cujus bona erepta, quam judici, qui ſecundum legum præcepta, nonniſi pœnâ pecuniariâ, vel corporis afflictivâ in furem animadvertiſſet, non item ultimo ſupplicio. 3. Quia nullibi in jure civili cautum eſt, ut in ſolam rerum defenſionem adverſarium occidere liceat. Quinimo, juriſconſultus Alfenus proponit caſum, quo aliquis Tabernario lucernam, ſupra lapidem poſitam, abſtulerat. Cumque ſuper eâ re, ortâ rixâ, tabernarius alteri oculum effodiſſet, reſpondit Alfenus, ſi tabernarius à fure non prior vapulaſſet, ſed cum ei lucernam eripere vellet, rixatus eſſet, tabernarii culpam eſſe. Vt in caſu propoſito ſequatur, tabernarium in defenſionem

Arg. l. 1 ꝑ D. Quod Met. cauſ junctâ l. Non eſt ſingulis. D. de Reg. jur. Diſſ. Amai. in Cod. l. 10. tit. 1. l. 5. n. 11. per variis ibidem alleg.

l. 52. §. 1. D. Ad l. Aquil.

lucernæ furi non jure oculum effodiſſe. Ut multo minùs licuerit eundem propter ereptam lucernam occidere. 4. Cùm paſſim in legibus mentio tutelæ corporis & defenſionis, ſi ei accedat aggreſſoris occiſio, fruſtra quiſpiam ad ſolam bonorum id traxerit defenſionem. Quinimo anxiè & accurate civiles leges diſtinguunt circa furem, utrum eundem occidere liceat, nec ne? Cum tamen certiſſimum ſit, quemcunque furem venire animo furandi, id eſt bona noſtra auferendi. Aſt ſi propter ſolam bonorum defenſionem aut ablationem occidere fas eſſet, omnem indiſtinctè furem occidere liceret. Verùm tantum nocturnum furem necare fas erat, quod neſciatur, an venerit animo furandi, an etiam occidendi. Ut lex 12. Tabularum, ſeſe fundet in corporis defenſione. Et

l. 4. l. 45. §. 4. D. Ad l. Aquil. l. 3. D de juſt. & jur. l. 3. & ſeq. Cod. Ad l. Cornel. de Sicar.

l. 4. D. Ad l. Aquil.

Et tamen non indiſtincte omnem furem nocturnũ occidere jure poteras, verum tum demum, ſi idipſum cum clamore teſtificeris. Quod ex legibus poſterioribus patitur exceptionem, ſi fur nocturnus ſit in agris, qui etiam impune ſine clamore occiditur. Quod ibidem fruſtra auxilium imploretur. Ex poſterioribus vero legibus, id cenſebatur illicitum, niſi corporis ſimul periculum adeſſet; ſic ut quiſpiam ei ſine ſuo periculo parcere non potuerit. Ad quam legem in margine allegatam cenſurâ notandus Gotefredus in notis, qui eam applicat etiam ad ſolam bonorum defenſionem: cum in d. l. agatur de periculo ſuo; & aliud ſit periculum ſuum, aliud periculum ſuorum bonorum. Quinimo poſtquam lex 12. Tabularum deſiit eſſe in uſu teſte Vlpiano, ut ille non ali-

l. 1. Cod. Quand. lic. unicuique. ſine jud. Cujac. 14. obſ. 15. Conſt Ordin. Holl. 16. dec. 1591 & 19. May. 1614. l. 9. D. Ad l. Corn. de Sicar. Gotefr. in not. ibid. Berlich conclus. 12. 4. n. 37. Boekel. diſq. 6. Tulden. ad tit. Cod. Quando liceat unicuique. Vlpian. l.

aliter nocturnum furem occidi velit, quam ſi metus ſit mortis, quid ambigimus amplius, quin ſtatuamus ſolam bonorum defenſionem juſtam cædis cauſam non eſſe.

8. Ad edictum. tit. Si quadrup. l. 5. D. Ad l. Aquil.

Inſuper ſi furem diurnum non aliter occidere ſit permiſſum, quam ſi telo ſe defendat, quod aliter non videatur adeſſe corporis periculum: certo colligitur, ſi telum abſit, adeoque periculum corporis ceſſet, diurnum occidere nefas eſſe. Vbi enim lex ſub certo modo permittit occiſionem, ſcil. tum demum, cum ſe telo fur defendit. Ibi remoto telo, remotâ conditione, ſub quâ permiſſa occiſio, remoto omni metu & ſuſpicione mortis, cenſebitur homicidium eſſe prohibitum.

l. 54. §. 2. D. de furt. l. 4. D. Ad l. Aquil. l. 4. Cod. Ad l. Cornel. de Sicar. 6 Harm. 5. Anton. Matth. tract. de crim. tit. 5. l. 48. c. 2. num. 8. Corvin. Cypr. Regn. ab Oosterga. diſp. 18. D. theſ. Frotem. p. mihi 433.

Verùm objiciunt 1. Quod quis licite propulſet illatam vim, idque ad defenſionem ſuę poſſeſſionis, quam ſine vitio tene-

l. 1. Cod. Vnde Vi.

tenebat. Reſpondeo, id quidem verum eſſe, quod licite defendat poſſeſſionem, verum hinc non colligitur, quod invaſorem licite occidat, niſi ex fure fiat latro, ex invaſore bonorum corporis aggreſſor, & aliquem licitis mediis bona protegentem, invadat armis. Objiciunt. 2. De generali conſuetudine, etiam ſecundum uſus feudorum, fures laqueo puniuntur: ut ſi ultimum ſubeant ſupplicium, etiam impune necari poſſint. Reſpondeo enim, 1. Non tam puniuntur, de moribus quod de ſolâ bonorum agatur ablatione, quam quidem de furto qualificato, id eſt cum effracturâ *conjuncto*; quam de contumaciâ, perſeverantiâ in propoſito, quod nulla ſpes emendationis ſuperſit, de frequentiâ delictorum, quorum nomine pœnæ exaſperantur. 2. Quod ſpectat jus feuda-

l. 2. tit. 26 in fin. de Uſibus feud.

l. in init. D. de Abigeis.

le, certum eſt vel propter ſimplex furtum, quem capitis damnari, modo rem valentem quinque ſolidis, fuerit furatus, idque quia fur civium turbat tranquillitatem, adeoque fractæ pacis publicæ reus eſt. Objiciunt. 3. Qui eripit bona, mihi eripit vitam, quia vivendi media; adeoque tam eum fas erit occidere, quam ſi vitæ inſidietur. Reſpondeo, verum quidem per conſequentiam, & remotè mihi vitam adimit, non tamen ſemper. Vt diſpar ſit ratio. Præterquam quod qui vitæ inſidiatur, ea niſi in continenti defendatur, amiſſa repeti nequeat. Res vero ablatæ aliunde reſarciri poterunt, per actiones per judicem repoſci, ut tantum in morâ periculum conſtitutum non ſit. Quod ſi quiſpiam mihi talem finxerit caſum, quo ereptis bonis, mihi fame

ſame pereundum foret, dicam etiam licitè bona defendi poſſe, cum internecione invaſoris. Jam enim pari paſſu ambulabunt, vita & bona, quod hiſce ademptis certa mors immineat.

Conſentiunt legibus hactenus allegatis etiam canones. Quibus cautum, ne fures qui ad furandum veniunt occidantur, neve tam acriter exardeſcamus, ut ad rerum tranſitoriarum conſervationem proximum interficiamus. Neque obſtat 1. Quod objicit Leſsius ex jure canonico. Vbi dicitur. *Si ſine odii meditatione, te tuaque liberando, hujuſmodi diaboli membra interfeciſti: ſi aliquid jejunare volueris, bonum eſt tibi, & eleemoſynas fac largiter.* Reſpondeo enim 1. in objecto canone duo requiruntur copulative, *te tuaque* defendendo, id eſt ut vis ſit illata bonis, etiam corpori. Vt non

C. ſuſcepimus. c. ſi perſodiens. de Homicid.

c. Interfeciſti. de Homicid.

non ſit extra culpam, qui bonorum invaſorem occidit, niſi etiam vitæ adſit periculum. Reſpondeo. 2. Etiam in hoc canone non eximitur homicida ab omni culpâ, cum illi ratione delicti commiſsi canonica pœna imponatur, puta ut jejunet, eleemoſynas faciat. Neque obſtat 2. Illud Innocentii 4. Qui ita: *Præterea cum omnes leges, omniaque jura vim vi repellere, cunctiſque ſeſe defenſare permittant: licuit utique ipſi Decano, (ſi prædictus Ballivus eum bonis ſuis mundanis injurioſe ſpoliare, vel ea violenter occupare præſumpſerit ut ſuperius eſt expreſſum) contra illius violentiam, injuriamque ſe tueri.* Reſpondeo enim 1. Non per allegatum canonem probatur, quod erat in quæſtione, licere propter ſolam bonorum defenſionem quem occidere, verum tantum innuitur, licitè quem ſuam poſſeſ-

c.dilecto. de ſent. Excomm in 6.

ſeſ-

ſeſsionem, ſuaque bona adverſus violentum invaſorem tueri; id quod nemo eſt inficiatus. Præterquam quod hic nullum homicidium erat commiſſum, ut fruſtra textus eò trahatur. Reſp. 2. Non ibi agitur de ſolâ bonorum defenſione, verum eâ, quæ cum tutela proprii corporis eſt conjuncta. Id quod ſatis colligitur ex initialibus canonis verbis; *cunctis licitum ſeſe defenſare*, & poſt, *contra violentiam ſe tueri*. Quæ omnia ad eam referuntur injuriam, quæ corpori noſtro infertur; quam propulſare, etiam cum internecione aggreſſoris, ſuperius eſt explicatum.

Neque diſsident à ſententia noſtra rationes ac motivæ Theologicæ. 1. eſt. Quia iniquus ille cenſendus, qui divitias interituras, & iniquum mammona, prætulerit vitæ, ſaluti, & amori hominis Chriſtia-

Matth. c. 5. v. 38. & ſeq. Luc. c. 6. v. 27. & ſeq.

ſtiani, licet in aliquo actu imperfectionis, à Chriſtianâ perfectione deviantis. Præſertim cum aliud ſuadeat Salvator noſter, qui jubet, ut homini petenti & auferenti pallium, etiam tunica concedatur. Quaſi non ſatis tutum videatur, pro conſervando pallio, vitam adverſario adimere. Ut potius res quævis neceſſariæ videantur deſerendæ, quam ut noſmet vel adverſarium vitæ periculo exponamus. Ideoque etiam adducitur exemplum veſtimentorum, quæ ad corporis nuditatem contegendam apprime neceſſaria. Et tamen ea relinquenda ſtatuit Salvator, ne ad bonorum defenſionem, multa mala, multæ calamitates ſequerentur. Quivis enim, vel eorum gratia, quę vix alicujus forent precii, auferentis vitæ inſidiaretur; quod tamen impium ac crude-

le

le foret. 3. Quia licet divina lex, quandam inter omnes homines conſtituerit cognationem ut omnes nobis ſint proximi; nullam tamen ſociationem aut parilitatem conſtituit inter animas bonorum & animas hominum, qui omnium creaturarum ſunt nobiliſſimi. Unde ſacer vates: *Fratrem redimendo non redimet quiſquam, nec dabit Deo Precium redemptionis ejus. Nam precioſa eſt redemptio animæ ipſorum, & deſinet in ſeculum.* Quod etiam ſatis innuit Salvator, dum comparat vitam noſtram, ac vitam animæ noſtræ, cum divitiis totius mundi, ut oſtendat ea inter ſeſe comparari non poſſe. Et certe, ſi rem recta putemus via, cujus conſcientia, ſi in ſe reflectat, id non dictabit? Annon quod amittere metuimus, minimi valoris eſt, & quod perdere cupimus, nullo pre-

Luc. cap. 10. v. 30. & ſeq.

Pſ. 49. v. 7. & 8.

precio æſtimabile? Vnum reſarciri poteſt etiam facile, alterum reſarciri nequit. Amiſſam rem, quantivis precii ut plurimum interdictis, actionibus recuperamus. Vitæ ſemel amiſſæ redintegrandi remedium nullum eſt. Vt cogitandum ſit vitam hominis temporalibus rebus ſubjectam non eſſe; ſed è contrario, omnia hominum gratia comparata, adeoque Dominii jure iiſdem eſſe ſuppoſita. Inſuper cogitandum divinam legem aliis poteſtatem non conceſsiſſe de bonis noſtris diſpenſandi, multo minus nobis, diſpenſandi de vita alterius. Cumque gravius puniri Deus voluerit homicidium, quam furtum, cogitandum potius bonorum amiſsionem eſſe æquo ferendam eſſe animo, quam ut eorum gratia conſervandorum homicidium committamus. Vnde etiam tan-

Geneſ. 1. v. 28. & ſeq.

Exod. c. 22. v. 2. & 3.

tantum Deus permiſit furem occidi, ſi nocturnus ſit, aut telo ſe defendat, nec aliter illum occidere jure divino fas eſt. Ad quem locum ita Auguſtinus. *Hoc*, inquit, *& in legibus antiquis ſecularibus invenitur, impune occidi nocturnum furem, quoquo modo, diurnum autem, ſi ſe cum telo defenderit: jam enim plus quam fur eſt.* Ut ſi tantum veniat animo furandi, non occidendi, quævis potius ſint dimittenda, quam ut proximo vita adimatur. Hoc ſi quis fecerit amore proximi, ne dubitet, quin Deus ea largiter in ſinum, ſit immiſſurus, quæ ne proximum in vitæ diſcrimen adduceret juri ſuo cedendo, amiſit.

Auguſt. libr. 2. quæſt. ſuper Exod

CAP.

Cap. XXVIII.

Utrum duella licentiâ ſuperiorum inter ſocios aut ſubditos ſuſcepta, ſint licita?

Tacit. Hiſtor, l. 4.

PRoclivius eſt, teſte Annalium ſcriptore, injuria, quam beneficio vicem exolvere: quia gratia oneri, ultio in quæſtu habetur. Quæ cauſa eſt, ut ex minimis jurgiis, injuria quavis verbali, duella, & hinc homicidia oriantur. Nec tantum potuere leges, aut edicta, ut non prævaluerint vitia, ac depravati hominum mores, quibus ad injuriarum illatarum vindicationem per congreſſum ſingularem incitantur. Qua ratione factum, ut neceſſarium quondam fuerit duella inter ſubditos permittere, ſi quando juſtæ eorum probarentur cauſæ. Unde limites ponebantur illi malo inve-

veterato, ne nimium graſſaretur, maximo reipublicæ damno. Et erat cum cautelâ, permittendum, quod propter humani generis duritiem auferri non poterat, niſi ab eo, qui ſummâ in Imperio gauderet poteſtate. Hinc ita reſtringebantur congreſſus ſingulares, ne cuiquam privato idque propriâ auctoritate, eos indicere, aut ſuſcipere liceret. Secus ſi factum eſſet, partes incurrebant homicidii crimen, & quod longè maximum eſt, Majeſtatis. Solus itaque Princeps in Galliâ hodie permittit illa duella, licet raro. Olim etiam cauſa cognita, Senatus Pariſienſis. Curia itidem gubernatoris, cum ipſo rectore Delphinatus in Delphinatu: Magiſter militum Galliæ, ſeu conneſtabulus. Reguli Italiæ paſſim ſine delectu non tantum permittebant, ſed inſuper quoque

Tholoſ. Synt. jur. Vniverſ. l. 48. cap. 16. n 9.

Alciat. de Singul. certam.

que

que loca tuta aſſignabant. In Angliâ vero ſolius eſt ſingulare certamen indicere, & permittere: quod ſuperius ex Thomâ Smith ſcriptore Anglicano oſtenſum ſatis. Tabulæ legum Brabantiæ Ducis Johannis, ſub certis modis jure ſeculari quædam duella tantum permittebant. Olim tamen apud Romanos, neque rectoribus Provinciarum, neque exercituum ducibus jus erat inter ſocios milites Duellum permittendi. Quod armorum uſus ſine Principis conceſſione capitalis eſſet.

Zyp. Jur. Pontif. nov. Analyt. Enarrat. l. 5 p.473.

Etſi enim milites jus gladii à Principe accepiſſent, ita tamen illud erat limitatum, ut in hoſtes tantum eo jure uti fuerit permiſſum. Non aliter atque militibus noſtris jus quidem necandi conceſſum eſt, non tamen quoſvis, aut quavis occaſione; verum eos tantum qui ho-

l. unic. Cod. Vt Armor. Vſus Inſcio Princ. ſit. Interd. libr. 11.

hoſtium loco habentur, idque ex ordine. Unde etiam Titus Manlius, poſt Torquatus, cum à Gallo provocaretur, Dictatorem ita allocutus eſt: *Injuſſu tuo Imperator extra ordinem non pugnaverim, non ſi certam victoriam agnoverim: ſi tu permittis, ero provocatus.*

Etſi vero permultis in locis talia duella ſuperiorum auctoritate fuerint permiſſa, etiam inter ſocios, & ſubditos; probanda tamen mihi videntur Hiſpanorum ſtatuta, quibus nulla cenſetur juſta duelli cauſa. Eaque conſentanea omni juri tam humano, quam divino. Jura equidem civilia, quæ Principem ſecundum leges, agere debere judicant, ejuſque auctoritatem à juris pendere auctoritate; nolint ea omnia juſta & legitima eſſe, quæ Princeps quoquo modo probaverit, aut permiſerit. Neque enim

Boekel. diſquiſ. Public. júdic. 6.

l. 4. Cod. de leg.

l.3.l.7. Cod de Precibus Imper. Offer. l.6. Cod. Si contr. jus, vel util. Public.

enim ea ipſa Princeps vult eſſe rata, quæ legibus repugnant; quaſi non à ſe ex certâ ſcientiâ ſint profecta. Verùm quid aliud ſtatuunt leges, quam ut arma geramus in hoſtes quique eorum loco reputantur, quales ſunt transfugæ, patriæ proditores, ſacra & devota capita, quibus caſubus quis publicam vindicat devotionem; non autem in ſocios, niſi violenti ſint invaſores.

l.1.2. Cod Quando liceat unic. ſine judic. ſe vindic.

Atque hæc ſententia de jure canonico certiſſima eſt, quicquid in contrarium nitatur Fragoſa. Si enim generalis illa conſuetudo jure canonum improbatur, quæ ejuſmodi permittit provocationes, etiam improbabitur illo jure reſcriptum Principis, aut edictum, quod tales partibus permittit. Ratio conſequentiæ eſt: Quia quod illicitum in conſuetudine, etiam illicitum cenſeri de-

be-

Digitized by Google

bebit in reſcripto. Antecedens vero de jure canonum manifeſtum, quo omnis conſuetudo peccati nutritiva improbatur; quia irrationabilis, adeoque nulla. Atque talem conſuetudinem, tale edictum expreſſe improbat Concilium Tridentinum. *Imperator, reges, duces, Principes, Marchiones, comites, & quocunque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis conceſſerint: eo ipſo ſint excommunicati; ac juriſdictione, & dominio civitatis, caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab eccleſiâ obtinent, privati intelligantur: & ſi feudalia ſint, directis dominis ſtatim acquirantur.*

c. cum tanto de conſuet.

Concil. Trident. ſeſſ. 25. de Reform. c. 19. Barboſ. in coll. ad Concil. Trident. d. ſeſſ. d. c.

Quod etiam multorum Pontificum Pii 5. Gregorii 13. Clementis. 8. conſtitutionibus fuit confirmatum; quas omnes deſcriptas & collectas videre licet apud Barboſam in ſuis collectaneis.

Quod ſi quis inquirat in rationes Theologicas, illæ non contemnendæ, quibus manifeſto probatur, etiam conceſſione Principis inita duella inter ſocios, eſſe illicita. 1. Quia nullibi ſacra pagina talia litium componendarum, ac diſſidiorum amputandorum remedia præſcripſit: ut noſtrum non ſit, aut Principis cujuſvis talia remedia eligere. Idq; ne videamur velle Deo eſſe ſapientiores. Quapropter etiam eccleſiaſtici in Angliâ circa ann. 1630. Carolo regi diſſuaſerunt, ne duorum Scotorum congreſſum permitteret, qui tamen licentiam ſingularis certaminis impetraverant. Alter eorum erat Comes de Ree, alter nobilis, vocatus Maexwel. Et tantum Theologorum rationes apud Regem valuerunt ut duellatores à propoſito revocaverit. 2. Quia medium illud fru-

fruſtra adhibetur, quo ſæpe innocens indignà & injurioſâ morte afficitur, nocens autem periculum evadit. Neque enim ſemper Deus partem ejus protegit, qui bonam fovet cauſam, quod hoc medio in divinam legem impingat, bonitatem cauſæ vindictæ cupiditate coinquinando; adeoque ſe indignum præbeat auxilio divino. Præterquam quod nonnunquam Deus talem duellatorem propter alia occulta peccata in hoc duello ſuperari patiatur. 3. Quia tales congreſſus nonniſi ex merâ malitiâ ac vindictæ cupiditate oriuntur, ut merito ſint rejiciendi. Quicquid enim cauſam agnoſcit malam, id ipſum malum eſſe oportet: Cum quale quid eſt in origine, talis ſit ejuſdem effectus; nec arbor mala fructus bonos proferat. 4. Quia tales congreſſus ut plurimum

crudelitatis pleni, neque unquam ſinent Principem eos permittentem in conſcientiâ ſecurum eſſe, tanquam ejus mali auctorem. Exemplum ejus memorabile ſuppeditat Hiſtoria Gallorum, quod accidit Henrici 2. Regis Galliarum tempore. Qui ut permiſit duellum quod minime debuit inter Vidum Cabotium Jarnacium, & Franciſcum Vivonum Caſtaneum, viditque ſpectando provocatorem Caſtaneum cui favebat penetrabili corporis ſectione tranſverberatum occumbere, tantus ejus conſcientiam perſtrinxit, dolor, ut Sacramento confirmaverit, ſe poſthac in monomachiam nunquam conſenſurum.

Thuan. hiſtor. l. 3.

CAP.

Cap. XXIX.

Quæ ſit occaſio duellorum?

QUod poſt lapſum generis humani locum habuit, id etiam num in univerſo obtinet. Ubique pugna eſt, ubique bellum; ut merito ex antiquis nonnullus dixerit, omnia concordi quâ diſcordiâ inter ſeſe connexa ac concatenata ſtare. Bellum immortale ſecum gerunt pugnantia mundi elementa, alterumque alterius perit efficacia & offenſione. Inter aſtrorum curſus diſſenſum deprehendimus, & magnam contrarietatem.

Brutorum ut & herbarum perpetuæ dantur & ſynpathiæ, & antipathiæ. Diſſidia ſempiterna inter mortales ſerit, Dea multorum origo malorum Nemeſis; quam quis merito Pandoram è cœlo de-

lapſam cum Lucifero dixerit, ut multo damno homines mactaret. Hinc accidit, ut cum ſociatione naturæ homo homini junctus, Deus eſſe deberet, id eſt beneficus, alter alteri ſit Dæmon, & maxime maleficus. Quivis vel levicula de cauſa in proximum inſurget, neque adeo frivola excogitari poterit, quæ non cuique vel inſtar damæ timido, moveat bilem. Quiſquis alicujus notæ videri vult, vel adinſtar Gigantis, ipſum Jovem, id eſt virum nullius injuriæ illatæ ſibi conſcium, ad duellum provocabit, addita hac minaci voce: aut tu me ſi potis es tolle, aut ego te tollam. Cujus mali, ſi quis inveſtiget occaſionem, ea in promptu eſt. Præcipua eſt, vindictæ cupido, ira intus ſtimulante; quæ adeo tranſverſum rapit animum, ac frænum rationis excutit, ut non amplius

plius ſui juris ſit. Quam facile enim homini calidioris temperamenti, ſanguis ebullit circa cor, quam facile bile tumet jecur? Idque facillime illis accidere animadvertimus, quorum regio, adeoque corporis temperies noſtra calidior eſt. Et ut in juventute maxime dominatur vindictæ cupido, prędominatur ira, ita animadvertere licebit, juvenes ſenibus ad ſingulare certamen eſſe proniores. Scilicet illis imperitat Martis fervor, hiſce Saturni tarditas. Illis non tam adjuncta prudentia, quam quidem ardor, non fortitudo, ſed audacia, non conſilium, ſed temeritas. Spiritus quippe igniti vehementiores in juvenibus, quique propterea facilius omnia commovent, & commoventur.

Altera occaſio mihi fuiſſe videtur in ipſis Poteſtatibus,

quæ quod auctoritate aut potentiâ omnes ſubditos, præſertim potentiores, & maxime factioſos in officio continere non poterant, nec gladio juſtitiæ coercere audebant, ſi forte deliquiſſent, ſimultates & inimicitias inter illos per artes quaſdam foverunt. Tandemque paſſi ſunt eos in ſe mutuo irruere, ſingulari inſtituto certamine; præſertim cum ferocientes vel quaſvis duellorum occaſiones captarent. Atque ita cum tales invicem eſſent carnifices, ab illis otioſis, & factioſis hominibus reſpublica liberabatur, ac Principis tranquillitati magis erat conſultum.

Tertia occaſio eſt, præſumptæ gloriæ cupido, cujus adeo appetens eſt homo, ut mori ſatius ducat, quàm ejus non eſſe particeps. Omnes enim, qui non rectè omnia expendunt, duel-

duellatorem laudant, ut alterum martem eundem ſuſpiciunt. Et non aliter atque apud populum Romanum applauſum merebantur præclari antagoniſtæ, παράδοξοι dicti, quod in conſpectu populi depugnaſſent; ita homines quidam vani provocatorem adſpiciunt, venerantur, quaſi ille fortitudinis gloriâ inter alios emineat, non aliter atque luna inter minora ſidera. Quod ut prudenter advertit Taurini Præfectus regius Johannes Langius, duellatores ſuper ponte ſolos incluſit, uſque ad nocturnum tempus, nemine adſpectante, ut ita ejuſmodi inglorium duellum aſpernarentur. Plerumque enim talis conatus vel præmiis paſcitur, vel applauſu incitatur; in tantum etiam, ut multos cernamus periculi amatores conſtitutos, temerarios magis, quam for-

Carol. Molin. ad decif. conſil. 686.

 tes

tes, ea quæ interdicta ſunt, peragere.

Quarta ſingularis certaminis occaſio eſt, præſumptio quam quis habet, partim de artuum ac lacertorum firmitate, partim de ſuâ in arte tractandi gladios dexteritate, partim etiam de ſeipſo. Unde vel quâvis occaſione, quæ etiam quæſita erit, ſi non inventa, aliquem ſtimulabit exercitium armorum, juncto corporis robore, ut vel quibuſvis injuriam inferre ſit paratus. Expertus enim prævalet inexperto, & multum conducere notitiam ſcrimiæ, ſic loquar, exemplo duorum fratrum ex Livii hiſtoriâ, ſuperius fuit commonſtratum. Ita, proh dolor, ars illa honeſta promovet vitia, iiſque inſervit, quæ tamen aliter apprime neceſſaria, ut pote ad vitæ propugnaculum in caſu inculpatæ tutelæ adinventa.

ta. Præſumptio inſuper, quam quis habet de ſeipſo, talis eſt, ut exiſtumet ſe aliis eſſe præferendum, ut pote quos audaciâ anteire adnititur. Hinc illum demum verum honorem exiſtimabit, omnibus eſſe metuendum. Ea propter nec quemquam patietur ſibi parem, multo minus ſuperiorem. Et amore ſui ipſius ſtimulatus, ubique ſuam deprædicabit audaciam, neque quempiam feret ſuis officientem luminibus. Cujus perverſæ imaginationis, & opinionis vanæ tanta vis eſt atque efficacia, ut ſuper quovis honoris apice, lucentibus gladiis dimicandum eſſe ſtatuat. Vel phraſis illa: *tu mentiris*, congrediendi ſuggeret occaſionem: & vultus paulo ſeverior, certo certius ſingularis certaminis erit cauſa non improbabilis. Et ſi quis vel non cum alio ad al-

loquium Virginis, vel non ſatis tempeſtive, vel non ad nutum oculi, fuerit admiſſus, ſatis graves hæ cenſebuntur injuriæ propter quas, ſi honoris & famæ prodigus eſſe nolis, adverſarium ad ſingulare certamen provoces, vel conditiones congreſſus ab adverſario oblatas non recuſes. In tantum quidem, ut ſi vel ab amico, & familiari nonnulla paſſus ſis, reparari illata nequeat injuria, niſi per infauſtum duellum. Unde, etiam locus factus eſt proverbio: amicus es hodie, cras inimicus futurus.

Quinta occaſio deſumitur ab exemplo, quod utplurimum plus movet, quam res, aut ratio ipſa. Quia forte inter aulicos, quiſpiam gratus Principi, gratus Principis miniſtris, duello adverſarium provocavit, ejus factum ad inſtar regulę lesbię, cęteri omnes, ac-

ce-

cedentibus quibuſdam aulæ aſſentatoribus, ac paraſitis, ſibi proponunt. Atque ita non hominum, verum ſimiarum ritu ſine ratione, ſine conſilio, ab aliis tentata, ſive benè, ſive malè, ſive licitè, ſive illicitè, imitabuntur. Cum præſtitiſſet eorum ſequi ductum, qui in aulâ cluent prudentes, moderati atque pii. Sic enim melius ageretur cum humani generis conditione, moribus & vivendi inſtituto.

C A P. XXX.

Utrum duellorum ulla ſit utilitas?

SI quiſpiam juxta mecum inquirat in duellorum commodum aut utilitatem, forte aliquam invenerit, non quidem per ſe, verum ex accidenti. Quod nihil in rerum naturâ reperiatur, quin in ordine majoris

joris alicujus mali, ſpeciem præ ſe ferat bonitatis, ſi non honeſtæ, ſaltem utilis. Venena hominum corporibus deleteria, atque ipſorum naturæ adverſa, in tantum utilia cenſentur, in quantum impedita ſubinde gravi morbo organa expediunt, priorique reſtituunt exercitio. Idem etiam duellis applicari poterit, quæ olim ideo apud multas permiſſa nationes, ut veritas, quæ aliter uti opinabantur è latebris erui non poterat, eſſet in propatulo. Præter alia commoda, quæ duella comitari docuit experientia.

Præcipua fortè utilitas duellorum cenſeri poterit, quod reges & imperantes reddat ſecuriores, dum nobiles privatis injuriis vindicandis intenti, publicas linquunt, nec alunt cogitationes de Rege è medio tollendo, aut reipublicæ ſtatu in-

innovando. Idque ſecundum illud monitum doctoris ex Hetruriâ; ſimultates & inimicitias ſubinde alendas eſſe in populo, quo iis occupatus, atque detentus, facilius ab eo, qui ſummâ rei potitur, in officio contineatur. Nec etiam minor utilitas ad imperantes redundat, ſi in regno ſpiritus nonnulli generoſiores, per talia media, è medio auferantur, ne quo facile inclinant eorum animi, factiones foveant etiam imperanti metuendas. Et libet ſuſpicari; ſi licet ideo in exordio ſui Principatus Henricum quartum Galliarum regem, aliquandiu duella toleraſſe, quo regnum à turbulentis hominibus, quibuſque novitas cordi eſt, liberaretur, patriæque atque regis ſalus, & incolumitas ſalva foret. Quinimo nullâ commodiori aut magis compendioſâ viâ, reges

injurias ſibi à potentioribus in regno illatas, vindicare poterunt; quas ſine ſtatus publici concuſſione, ad animum revocare non potuiſſent. Ita refert Buchananus, Scotiæ regem, nobiles ulciſci cupientem, ut inter ſeſe committerentur, juſſiſſe. Neque etiam minima utilitas eſt duellorum, in quantum iis ardor militum quorundam nobiliumque immoderatus, qui niſi habeant, quo ſeſe exerceant, tandem ad civiles diſſenſus prolaberentur, intra officii metas continetur.

Plutarchus in Apopthc. Lacon. in Cleomene.

Difficile quippe gentis bellicoſæ animis effervelcentibus frænum injicere, niſi aliquo exercitio bellico non vi, ſed facilitate, in ordinem revocentur. Ut enim aquarum moles, cui ſenſim reſiſtimus, etiam ſine tumultu dilabitur: ita ſi violenta ingenia, non per vim, ſed laxando fræna, ſiſtas, rei-

pu-

publicæ contextui nihil inde periculi metuendum. Hæc vero, quæ protuli, non ideo protuli, quod cenſeam eorum nomine tuto duella adhiberi poſſe, adeoque ut licita approbari. Verùm ut ſaltem appareat etiam occaſione minoris mali permiſſi in republicâ, non tamen citra conſcientiæ læſionem, majus nonnunquam evitari. Aliter, quis ignorat, offenſiones offenſionibus reprimere, non niſi inter efferatos admitti, nec in uſu eſſe, niſi apud gentes Barbaras. Neque enim admittit Chriſtianiſmus, ex ſenſu Paulino, minora fieri mala, ut pejora evitentur.

CAP. XXXI.

Duellantes utrum audaces, an meticuloſi?

FOrtaſſis nonnullis in vanum hæc agitata videbitur quæ-

quæſtio, quod prima fronte duellantes exiſtument, ſi non inter fortes ſaltem temerarios & audaces ſe referendos, adeoque ab omni prorſus metu ſejunctos eſſe. Verùm tamen ſi quis rem rectâ lance mecum velit trutinare, non inficias iverit, permultos duellatores, ſi non pleroſque, magis eſſe meticuloſos, quam audaces. Atque hoc ipſum inter alia argumenta, ſuadent arma, quibus utplurimum duellatores inter ſeſe congrediuntur. Raro enim eoſdem ſclopis, aut aliquo inſtrumento læthali cujus ictus illatio eſt inevitabilis, in campum prodire cernes. Verùm gladiis, & quidem oblongis, quibus facile ictum avertimus, & minimâ manubrii motitatione periculum evitamus. Idque ex illo vulgato: prolixus gladius animi exilis indicium. Mortem ſcilicet quotquot ſunt

ex-

extimeſcunt; & tamen eandem intrepidè, uti videtur, contemnunt. Suadet etiam, quod dico, armorum exercitium. Huc enim multum facit artis ſcrimiæ peritia, quæ hominem vel damâ timidiorem, ſupra ſeipſum elevat. Quod artis exercitium adeo ejus animum aliter meticuloſum concitat, ut temere, vel quemvis ſibi in adverſarium eligat. Quæ ratio eſt, quod plerumque illi, qui quam optime artis ſcrimiæ gnari ſunt, eâ confiſi ſingulos ad ſingulare certamen provocent. Non quidem improbandum ideo illud armorum exercitium, quod non me lateat, quam non ſubinde proſit; verum tamen hoc probandum non eſt, ut invidia ab exercitio aut artis peritiâ trahat originem, & non potius ab animo & fortitudine. Utrumque malum eſſe fa-

fateor, ſive invidia ab arte, ſive ab animo proficiſciſcatur : ſed tamen ſi invidendum alteri, juſta erit æmulatio, ſaltem non adeo iniqua, quæ ideo, quod alium advertamus fortiorem, non quod peritiorem. Quicquid ſit, id equidem negari non poterit, quin illi, qui in armorum exercitio ſunt artifices, ſtatim ad arma proclament, non aliter atque ad deos tutelares; nec tam fortunæ aleam, & martis eventum ancipitem reſpiciant, quâm quidem ſecuritatem, & regularum artis, cui confidunt, rectitudinem. Ut non tam victoriam poſcant ab animo, quâm ab arte, non à fortitudine, quã à corporis agilitate. Quod dico, in tantum verum eſt, ut quondam in Galliâ non caruerit aliquâ notâ turpitudinis, aliquem optimum eſſe gladiatorem, id eſt artis ſcrimiæ peri-

peritum. Autumabant nobiliores, artis regulas multum derogare nativæ, generoſi pectoris fortitudini. Quæ non dolo ſed virtute ſuperare annititur, adeoque virtutem non dolum in hoſte requirit.

Suadent ulterius metum permultis ineſſe duellatoribus, præludia ſingulare certamen antecedentia. Quanto enim cum molimine, quantâ cum pompâ & oſtentatione nonnunquam hoſtem provocant! Per tertium aliquem chartulæ miſſitandæ, per amicos id denunciandum; neceſſariis forte in conſilium adhibitis, quo in tempore huic malo obviam eatur. Et tamen quandoque in negotio duellico quorundam explorant judicium, ſcilicet ſub fide ſilentii. Et tamen dum vultu, geſtu, & minis ſeſe iratos oſtendunt, etiam forte familiaribus ultimum

mum vale denunciant, nihil magis exoptant, quam ut nolentes volentes, & quaſi inviti, revocentur, aſſerventur, aut domi ſuæ concludantur. Ne dicam, quod etiam pro comperto habeo, quandoque illos thraſones, quibus eſt res anguſta domi, datâ operâ, & de compacto duelli occaſiones arrepiſſe, non ut in ſingulare certamen deſcendant, quam ut ferociæ prætextu, ab aliquo tirone divite, atque ſtolido, pecuniam extorqueant. Unde accidere ſolet, ut dum tanto cum ſtrepitu provocant, vix decimus ad locum congreſſui deſignatum ſtato tempore deveniat.

Suadet amplius metum adeſſe duellatoribus, ſolitus certaminis ineundi modus. De more enim adducitur *ſecundus*, etiam *tertius*, quandoque *quartus*. Quod non aliunde introdu-

ductum eſſe cenſerem, quam quia forte non ſatis eſſet virium aut audaciæ in uno. Et cum quiſque in ſe minimum haberet fiduciæ, juncto comite, augeretur cujuſque animus, omniſque metus pelleretur. Conſortium quippe aliquod confert adjumentum atque ſolatium in periculo. Et levamen eſt in morte habere ſodalem. Tumque ſocii atque comites inclamant, incitant, hortantur, ut cui inter pugnandum labitur animus, novo quaſi celeuſmate, erigatur. Quid quod ideo, ſecundum aut tertium comitem eligant, ne ſi forte vulnerati, aut in terram dilapſi, ab adverſario trucidentur. Ne forte ultra ſanguinis emiſſionem aut vulnera, licet non lethalia procedatur. Quæ, quid aliud indicant, quam multos duellatores eſſe meticuloſos, iis animum plerum-

rumque deficere. Et certe niſi quiſque certam ſpem victoriæ concepiſſet, non ita facile ad certamen deſcenderet. Exemplo ſit illud Cæcilii Metelli, (apud Plutarchum in Apopthegm.) munito loco exercitum admovere volentis. Cum enim ei centurio dixiſſet, ſi ſolum decem viros perdidiſſet, ſe locum eſſe capturum, eum interrogavit, num unus ex illis decem eſſe vellet. Ad quam interrogationem ſilentio oſtendit, ſe vitam periculo exponere noluiſſe. Ita ſi duellatores judicarent ſibi imminere grande periculum, nec victoriã ſibi pollicerentur, non adeo libere provocarent ad certamen, meticuloſis in eo pares, & ipſi meticuloſi.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XXXII.

Utrum ſingulare certamen injuriarum illatarum, honoris defendendi gratia ſuſceptum, ſit licitum?

QUatuor eſſe malorum genera à, quibus haud illubenter liberarentur homines, qui iiſdem divexantur, à nonnullo proditum eſt. Lis ſcilicet inſtituta de majori bonorum parte, morbus judicio medicorum incurabilis habitus, mala mulier, & duellum (quod omnium malorum maximum) injuriarum illatarum causâ ſuſceptum. Illa quippe mala ſeſe quandoque remittunt, & inducias admittunt. Hoc vero poſtremum, aſſiduis curis & ſollicitudinibus animum exagitat; pugnâ inter rationem rectam, & affectus inordinatos exortâ. Illâ

D. le Nove, diſc. Milit Polit, 12.

diſſuadente congreſſum, hiſce ad eundem incitantibus. Cui malo frequentato, eoque pejori, quo frequentiori, ut obviam eatur, rationes allegabo non contemnendas, quibus calidioris temperamenti homines, in duella proni à pravo propoſito revocentur, & ęquitati, longanimitati, atque juſtitiæ locum tribuant. Ubi principio me operæ precium facturum exiſtimavi, ſi demonſtravero omni jure talia duella eſſe improbata. Ut rejicienda illa Alciati diſtinctio inter duella intra vel extra territorium Principis inita. Cum ſi nullo jure ſint recepta, omne diſtinctionis adhibitæ fundamentum evertatur. Dein ſi rationibus probavero, jura non eſſe ſine ratione ita condita. Denique ſi objectiones duellantium, etiam ſpecioſas ſatis, paucis removero.

De

De jure civili certum eſt, id quod cuique debetur, aut quod quiſque ſibi deberi exiſtumat, non ſingularis certaminis eventu, ſed actionibus eſſe petendum; quæ ideo proditæ ut quiſque jus ſuum perſequatur. Leges itaque proditæ, judices in civitate conſtituti, & militares & civiles, ut militum civiumque inter ſeſe controverſias componant; & cuique quod ſuum eſt diſtribuant. Id equidem ita intellexit Imperator Marcus Antoninus, qui eam violentiæ ſpeciem judicavit, ſi quiſpiam quod ſibi deberi putat, ſine judice poſcat & auferat. Ut in judices injurii ſint, qui ſibimet illam tribuunt poteſtatem, quę tantum erat judicum. Adeoque privati in publica munera involent, diſtincta confundant officia; & ibi armis experiantur, ubi per legitimos judicio-

l. 13. D. Quod met cauſ. l. 19. Cod. Judæis. Init. Inſtitut. Proœm l. non eſt ſingulis. 176. D. de Reg. jur.

rum tramites, calumniantium iniquitates expelluntur. Præſertim cum ſingulis concedendum non ſit, quod per magiſtratum publice poteſt fieri, ne ſit occaſio majoris tumultus faciendi. Unde etiam generaliter ſtatutum eſt, ne quis ſibi jus dicat, aut vice judicis fungatur, niſi in crimen majeſtatis incidere malit.

l. ſi quis in tantum 7. Cod. Unde vi. l. 1. Cod. Ne quis in ſua cauſ. l. pen. D. quæ in fraud. cred. l. 1. Cod. Ut Armor uſus libr. 11.

Accedit, quod de jure civili privatis in privatos arma capere ſit improbatum. In tantum etiam, ut armorum uſus, ſine licentiâ Principis ſit capitalis. Cumque jus gladii à Principe miles acceperit, eâ lege, ut in publicum hoſtem eum convertat: conſequitur talem in Principis conſtitutionem impingere, qui arma ad alium transfert uſum, quam in quem conceſſa ſunt.

Novell. conſtit. de Armis. l. 1. D. Ad l. Jul. de vi Public.

Ne dicam, quod legibus tantum permiſſum, vim atque in-

injuriam propulſare non vindictæ inſtituere exercitium. Verùm qui injuriâ affectus eſt, ſi percutiat adverſarium, à quo ſe læſum exiſtumat, non propulſavit injuriam, ſed verè ſemet ultus eſt; quod quæ injuria illata, pro non illatâ haberi nequeat; adeoque non avertatur inferenda, ſed referatur illata. l. 12. §. facta. 2. D. Capt. & Poſtl. redempt.

Quid quod judicis non ſit eos ad arma admittere, quos ſuâ juriſdictione poteſt, & debet compeſcere. Ut ad arma venire non debeant, qui quod à judice petendum, ſibi arrogant. Unde etiam Brabantiæ duces, Romanas ſecuti leges, ſuis edictis promulgarunt, ut ſi alicui grandis injuria, vel domi vel militiæ ſit illata, quærela ad Principem, aut ſupremum exercitus ducem deferatur: qui in conſilium adſcitis duobus equitibus conciliet l. 17 § ſed ſi inter duos. D. Uſufr.

Digitized by Google

partes, & idoneis modis, offenſi honoris reparationem curet. Unde etiam plura Principum Belgii edicta lata, quibus duellantium coerceatur furor, & nihilominus ejus quod cenſetur amiſſum, recuperandi remedium exhibeatur.

Zypæus Not. jur. Belgici. tit. de Pugnant. in duell. Philipp. 2 edict. 22. Jun. 1589. Albert. & Iſabell. pen. Febr uar. 1610. & 11. Jul. 1624.

Ne dicam quod nulla ſit proportio inter delictum & pœnam, qualem tamen jura civilia exigunt. Si quæ enim injuria verbis fuerit illata, illa re ipsâ, & ipſo facto vindicatur. Ut utrinque injuriæ factæ compenſari nequeant. Quemadmodum enim nec verbis ſatisfecerit, qui re deliquit; ita vice versâ nec re eum ſatisfacere neceſſum eſt, qui nonniſi verbis læſit. Pręterquam quod ſi licitum eſſet ſemet ulciſci ſuper illatâ injuriâ, id tamen cenſeri deberet illicitum, quod impoſſibile foret ultionem ad mo-

l. Sancimus, Cod. de Pœn. Arg §. 1. v. conſentaneum. Inſt. quibus. mod. Toll. oblig. l nihil tam naturale. D. de Reg. jur. tit. Decret. de Purgat. vulg. & tit. de

modum & menſuram debitam repoſcere. cler. in duell. pugn. & Concil. Trident. ſeſſ. 25. ſuper Reform. c. 19. Barboſ. in collect. ad concil. Trident. Zyp. ad tit. de cler. Pugn. in duell. Concil. Biturie. de ann. 1584.

Neque à jure civili, hactenus allegato recedunt canones, aut antiqui aut novi, conciliorum etiam anteriorum, & modernorum decreta, quibus ſtatutum, ut à duellis ſub pœnâ excommunicationis abſtinendum ſit.

Verùm progrediar ad rationes, partim ex jure divino, partim aliunde deſumptas. 1. Peccant enim qui ſingulare ineunt certamen in divinum præceptum, in quantum injurias illatas ipſimet ulciſcuntur: cum Deus peculiari jure ſibi vindictam reſervaverit: *mihi*, inquit, *vindicta eſt, & ego retribuam.* Quæ verba à Moiſe expreſſa, repetit Apoſtolus Paulus, *non voſmet ipſos ulciſcentes cariſſumi: ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: mihi vindicta eſt, & ego retribuam, dicit dominus.* Deuter. 32. v. 35. Rom. 12. v. 19.

Cumque vindicta, ſi rem penitius introſpiciamus, ſit actus aliquis judicialis, per judicem exercendus, potiſſimum vero per eum, qui ſupremus eſt rerum omnium moderator atque arbiter; quid aliud conſequetur, quam ad Dominum Deum, univerſi rectorem, vindictam ſpectare. Vt ſi noſmetipſos ulciſcamur, in Dei regalia involemus. Cumque vindictæ finis potiſſimum ſit correctio, & emendatio, ſi non partis lædentis, ſaltem totius, quâ ratione eam nobis aſſumimus? Cum eos à quibus vindictam poſcimus, pravo more, pravo exemplo, pejores reddamus, & ad ſimilia audenda inſtigemus. Neque audiendi illi, qui cenſent, quia etiam terrenis judicibus vindicta quę competit, ideo etiam illis eandem jure merito competere. Deus enim non illos

ve-

verum magiſtratus vice ſuâ judicare voluit, adeoque eos ut juſtitiæ miniſtros, ad opera juſtitiæ expedienda, adhibuit. Vnde etiam ultorem gladium gerere dicuntur, non ſecundum propriam juriſdictionem, ſed demandatam. Vt non tam cenſeantur habere vindicandi jus, quam quidem iſtius juris conceſſam ſibi exercitionem. Quæ etiam ratio, quod Moiſes dixerit Iſraelitis, non ut ſemet (licet ipſi injuriam eſſent paſſi) ſed ut Deum vindicarent ſuper Midianitis. Vt omnis vindicta Deo ſit committenda, aut ejus executio illi, cujus manubus, ut protectori, gladium concredidit.

Rom. 13. v. 1. 2. 3. 4.

Peccant ulterius in Deum iſti duellatores, ut qui hanc legem inter nos ſervari voluit, ut non tantum amicos, ſed etiam inimicos diligamus, in eos bene affecti ſimus, ac ma-

Matth 5. v 44. lum bono rependamus.

Rom. 12. v. 14. 17. Peccant in mandatum generale, de non occidendo. Peccant in legem illam divinam ſecundum quam cujuſque vitæ terminus eſt in manu Dei; Pſalm. 31. v. 5. ſibi enim facultatem tribuunt, de vitâ proximi diſpenſandi; cujus vitæ Dominus ſpirituum omnis carnis ſolus autor eſt atque largitor. 1. Cor. 6. v. 26. Peccant denique in Deum, in quantum violant domicilium 1 Cor. 3. v. 17. Dei, templum ſancti ſpiritus, in quo ipſe habitat. Quod ſi quis violare fuerit auſus, eum diſperdet Deus. Delent imaginem Dei, Geneſ. 9. v. 6. ad cujus ſimilitudinem homo conditus eſt. Necant homines Chriſti ſanguine Rom. 14. v. 15. redemptos, quorum pretium eſt inæſtimabile.

2. Peccant in ſeipſos, dum vani honoris & famæ gratiâ, ſanguinis ſunt prodigi, & propter leviculam injuriam, ne di-

dicam injuriæ illatæ opinionem, vitam ſuam extremo periculo exponunt.

Vt hic illud Martialis applicari poſſit:

Nolo virum facili redimit qui ſanguine famam.
Hunc volo laudari, qui ſine morte poteſt.

Ut talibus merito qui provocatus eſt, dixerit: Si vos offendi, cur mori deſideratis, cur fatalem diem antevertere conamini? Incerti enim eſtis de victoriâ; incerti utrum vos me, an ego vos ſim interfecturus. Quod ſi me volueritis interficerre, injuſte egeritis. Si à me interfici, id fruſtra petitis, quod vos à me injuriâ affectos eſſe credatis. Aut ſi ideo vitæ pertæſi eſtis, multæ ſunt viæ, per quas ad domum Plutonis datur aditus. Abite & in hoſtium turbam confertiſſimā cum Deciis irruite. Abite,

ventrem ſcindite ſuſpendio finem vitæ imponite, cicutam intrepide bibite. Quid enim à me petitis ut vivēdi finis vobis imponatur? Peccant præterea in ſemetipſos, dum affectubus tanquam furiis infernalibus agitati, bellum ſecum gerunt, & inimicitias capitales in pectore fovent, depravatâ cupiditate imperium in rationem vindicante.

3. Peccant in amicos, atque familiares, in præceptum charitatis, ut cùm quiſpiam pro amicis, pro conſanguineis vitæ diſcrimen ſubire debeat, duellantes ex adverſo amicos in vitæ diſcrimen adducant, dum eoſdem in conſortium litis trahunt. Sic ut non tantum ratione ſui, ſint temerarii, ſed etiam contemplatione amicorum crudeles.

4. Peccant in rempublicam, in quantum ſibi licentiam aſſu-

ſu-

ſumunt, alios provocandi, & ita de ſuis & alterius membris diſponendi. Cum tamen nemo ſit membrorum ſuorum dominus abſolutus, nec in ſe ipſum habeat poteſtatem. Verùm id competat reipublicæ, quæ ſuprema domina, & moderatrix; quæ ſibi imperium in noſtra membra, adeoque in corpus vindicavit. l. 13. in init. D. Ad l. Aquil.

Peccant in rempublicam, dum ſecundum, tertium, & quartum eligunt, adeoque cædibus vulgaribus latiſſimum campum adaperiunt. Communitatem numero ſubditorum privant, qui patriæ potuiſſent fuiſſe membra maxime utilia. Fortium enim virorum hinc interitus, qui ſi ſanguinem pro patriâ effudiſſent, hoſtibus fuiſſent metuendi. Ut haud immerito hic applicetur illud Ageſilai, qui cum vidiſſet Lacædemonios ipſos

Athe-

Athenienſes ac ſocios apud Corinthum debellaſſe, auditâ cadaverum multitudine, *heu miſeram*, inquit, *Græciam, quæ tot in ſeipſam viros perdidit, quot ſatis eſſent ad Barbaros debellandos.* Quod etiam reſpiciens Epiſcopus Aturenſis Præſentibus Cardinalibus Sourdio & Guiſio, aliiſque ab ordine eccleſiaſtico, ad regem deputatis, ſeriò monuit & rogavit, ut edicta Henrici quarti, & ſua prohibitiva duellorum, ſeriò executioni tradi curaret, Ne ſicut intra paucum tempus decem millia perſonarum (qui ſanguis utinam ſuper Turcam effuſus fuiſſet; quam non latè ſtagnaſſet, quam glorioſas ſegetes produxiſſet, quam ſalutarius eccleſię pomeria fæcundaſſet?) mutuæ ſeſe internecioni ſub dementato honoris titulo dederunt, totiens cum omnibus peccans, cumulum pec-

Æmil. Probus in Ageſilao.

Zyp. loc. ante citat.

peccatorum ſibi coacervaret. Peccant denique in rempublicam, dum in eâ lites novas excitant, & veteres adaugent. Hinc ipſæ familiæ quinimò integræ gentes mutuis inter ſeſe inimicitiis & diſcordiis irritantur. Pars læſa ultionem quotidie meditatur & vindictam repoſcit, ut ad conciliandos utrinque animos jam novo opus ſit Hercule. Neq; inter familiares aut inter proximos, incolumis eſt amicitia. Ruunt enim in conſanguineos conſanguinei, & in amicos amici. Quibuſque ex officio omnia humanitatis officia debebantur, illis & vulnera & cædes minamur. Et ſi poetæ cuidam Gallo fides, cruenta equidem illa, & lectorem in commiſeratione rapiens tragœdia, in quâ introducit filiũ defendentem duello patris honorem, in præjudicium ſui amo-

amoris, atque in reparationem alapæ patri inflictæ, interficientem patrem illius Virginis, quam plus oculis ſuis amabat.

Sed ad alias rationes properabo, quæ etiam complectentur incommoda, ſingulare certamen concomitantia. 1. Ratio eſt, quia talis congreſſus initur contra humanitatem omnem naturalem. Non enim vitium tantum eſt, ſed dementia, ſed furor, ex poſt facto, & animo ſedato, locum facere duello. Foret quidem hæc res tolerabilis, ſi ſtatim, & non ex condicto pugnaretur: aliquid enim dandum eſſet juſto dolori aut furori inſurgenti quid imputari poſſet. Verùm cum diei locique conditio longam includat morám, quâ labente rationes facile librari poſſent, propter quas expediret conſilium in melius immutare, eo gravius peccatum eſſe cenſebitur,

bitur, quo magis ira deferbuit. Unde maledictus furor Simeonis atque Levi, duorum fratrum, eorumque gladii homicidarum gladii appellantur, quod poſt aliquot dies in deferveſcentiâ affectuum Sichemitas interfeciſſent. Vt maledicta illa vindicta, quæ compoſitâ mente concipitur; quâ eam ſublatam oportuiſſet. Quo nomine Apoſtolus Jacobus monuerat, hominem omnem ad iram oportere eſſe tardum; ac ſi, ut alibi Seneca, iræ maximum remedium ſit mora. Non aliud certe remedium, nec ullum efficacius excogitare potuit Theodoſius Imperator Chriſtianus. Cum enim irâ præcipiti incitatus, Theſſalonicæ turbam promiſcue occidi juſſiſſet, hortatu religioſiſſimi antiſtitis Ambroſii pœnitentiam egit, legemque ſanxit, ut ſi quem ad mortem condemnaſ-

Geneſ. 49. v. 5. 6. 7.

Jacob. c. 1. v. 19.

Putean. Hiſtor. Barbar. libr. 1. n. 6. in fin.

Ruffin. hiſtor. Eccleſ. libr. 2. c. 18.

ſet, executio in diem trigeſimum protraheretur, quo poſtea locus eſſet emendationi, ſi quid iratus decreviſſet.

2. Quia exitus duellantium utplurimum luctuoſus. Si enim ipſi victores evadant, dolent vicem adverſarii, deplorant infelicem illum caſum, lacrymas emittunt, ut adverſarium interfectum vident, cadentem amplexibus excipiunt, non aliter atque ſi fratri ſupremum officium eſſent pręſtituri. Quod ſi victi ſuccumbant, auditâ nece domeſtici, quantam miſcent lamentationem! lacrymas fundunt orbati filii, occiſo patre-familias. Longa trahit uxor ſuſpiria, viduata marito, & familiæ univerſæ gaudium in luctum convertitur, & quod non procuravit hoſtium furor, effecit cujuſdam male feriati ſocii veſania. Interempto autem filio, ſpe

ſpe totius familiæ, cum dolore ac mœſtitiâ parentum cani ad ſepulchrum deferuntur; neque infortunatior accidere poteſt caſus, quam ſi unicum familiæ columen atque ſtabilimentum cadat, & evertatur.

3. Quia in duellis non ęquitas dominatur, aut juſtitia cauſæ, verum caſus; ſic ut fieri poſſit, ut qui roboris fiduciâ pugnam non neceſſariam inchoavit, pœnas ſuæ temeritatis luat, quique cauſæ bonitate confiſus duellum illicitum ſuſcipit, propter alia forte peccata, idque in pœnam, exitu lacrymoſo vitam finiat. Idq; ex illo Thycididis, ita latine: *Quod ſi quis, ſive ſuo jure, ſive viribus niſus, certo aliquod confecturus ſibi pollicetur; ne ſi ſuâ ſpe fruſtretur, ægre ferat, cum videat, complures jam antea, & qui injurias aliorum ulciſci voluerunt, & qui viribus ſuis ac potentiâ aliquid adquirere poſſe ſpe-* Thycidid. libr. 4.

ſperarunt, illos non modo vindictæ repetendæ poteſtatem non habuiſſe; ſed ne ipſos quidem incolumes evaſiſſe: hoc vero, ut aliena acquiſiverint, tantum abfuiſſe, ut ſua quoque amiſerint. Non enim idcirco ultio ſemper eſt felix, quia injuriis expreſſa: neque robur & potentia, quoniam cum bonâ ſpe conjuncta firma exiſtunt.

4. Quia Deus hominum conſcientiis hoc indidit, ne facile aut temere in proximum inſurgant, eoſque reprehenſione dignos judicat, qui vel dictis aut cogitatis ſemet ulciſci volunt. Vt multo magis delinquant, qui id agunt ipſo facto, & quidem ſatis crudeliter. Saulum Regem potuiſſet David capitis truncaſſe, idque tam facile illi fuiſſet, quam veſtimenti ejuſdem particulam auferre. Verùm id in vindictæ cupiditatem non fuit auſus, dictante conſcientiâ id eſſe illicitum.

tum. In tantum etiam, ut ſimulac particulam togæ abſcidiſſet, conſcientię ſtimulis fuerit agitatus. Diſcipuli Chriſti ſervatoris, privatę vindictæ gratiâ tantum exoptabant, ut de cœlo ignis deſcenderet, & Samaritanos conſumeret; Verùm illos increpavit Salvator, dicendo, neſcitis, cujus ſitis ſpiritus. Vt improbandus ſit ille animus, qui inordinatus nimium, nonniſi privatam ſpirat vindictam, etiam cum ejus, qui offendiſſe dicetur, internecione.

Verùm progredior ad objectiones, quæ in adverſum moveri ſolent, aut poſſunt. Et quidem. 1. Eſt receptiſſima illa conſuetudo militum, nobilium, & illuſtrium perſonarum, ut injurias illatas ferro vindicent. Conſuetudo autem jus facit. Vt propterea quod ex receptâ fit conſuetudine, licitum l. 32. D. de leg.

tum

tum cenſeri debeat. Reſpondeo, non omnis conſuetudo
l.39. D. & eod. jus eſt, aut facit. Non ſaltem illa, quæ non ratione introducta, licet poſtmodum uſu ſit recepta; ut ea in aliis ſimilibus non obtineat. Secundum illud Cæcilii Cypriani: conſuetudo erroris non facit errori patrocinium: & quod ante multa ſecula injuſtum fuit, nemo hodie juſtificare poterit.

2. Exiſtumatio mea & fama læditur apud homines, ſi non compaream provocatus; & ignominiam mihi illatam, toti inuro familiæ. Reſp. 1. Non eſt curandum, qualem apud homines exiſtimationem pariat factum non ſequentis provocantem, verum qualem apud Deum. Non quem homines vani & temerarii ſine ullâ ratione laudant, laude dignus, verum quem Deus laudaverit, qui optime ſingulorum

rum facta æſtimare poteſt. Ut pluris faciendum ſit arbitrium divinum, quam cujuſdam male feriati judicium. Nam reverentia quam Deo noſtro & obſequium quod divinis præceptis debemus, majus eſſe debet, & ſanctius, quam ut creaturæ morem gerere oporteat, ad prava provocanti. Reſp. 2. Non amittit vel minimum honoris gradum, qui temere, & contra omnia jura, divina atque humana, provocanti non obtemperat. Neque infamis eſt, qui non ſequitur in certamen deſcendentem, quod conſcientiæ ſecuritati ac tranquillitati velit conſultum. Vt adverſæ parti merito dixerit: Dæmonie perdat te robur tuum. Quinimo illi ipſi potius famæ ſunt prodigi, qui turpiter adverſus divina interdicta, ſemetipſos ulciſcuntur, & deſtinato conſilio proximum læ-
dendo,

dendo, aut occidendo, in jura Dei, & magiſtratuum, involant. Reſp. 3. Nec amittitur fama apud homines ſapientiores, ſed conſervatur, ſi quis ſuis affectibus, modū ac menſuram poſuerit. Nam ſi rem æquâ lance ponderemus, deprehendemus potius nos nobiſmet aliquam maculam inurere in certamen deſcendendo. Aut enim (loquar ſecundum illud Diogenis ad Ciernum è victoriâ Pancratii redeuntem) cum tali tibi negotium, qui te valore ac robore inferior; quem ſi ferieris, ignominia in te redundabit, quod in imparem inſurrexeris. Aut contendis cum fortiore cui impar es, à quo ſi fueris ſuperatus, notaberis aliquâ facti infamiâ, quaſi tibi defuiſſet animus. Vt quicquid evenerit, non ſatis conſultum ſit tuo honori, quem nec ſuperando inferiorem, nec ſuc-

cum-

cumbendo, recte conſervaveris. Quæ etiam ratio fuit, ut qui ſupra reliquos præclari cenſebantur, negarent ſe in certamen prodire velle, aut poſſe, aut debere, licet eſſent ad certamen provocati. Ita cum ab Antonio ad ſingularem congreſſum vocaretur Auguſtus Cæſar, non comparuit, verum lepide reſpondit: ſi Antonium vitæ tæderet, varia ſupereſſe media quæ ad mortem tenderent. Cumque à Sertorio provocaretur Metellus, non gladio ſed calamo reſpondit; Imperatoris non eſſe mori adinſtar militum. Ut hinc cuivis colligere liceat, umbratile tantum honoris nomen eſſe, & originem trahere ex falsâ quadam juvenum temerariorum opinione, quod per ſingulare certamen acquiritur. Quaſi demum manu & armis injurias illatas vindicare deceat. Ea-

M pro-

propter etiam falſam eſſe opinionem declarant alibi Principes Brabantiæ, Albertus & Iſabella. Quinimo honorem injuriâ affecti protegendum ſuſcipiunt. Et ne quiſpiam cuiquam quid exprobet ejus nomine, ſub ſuâ indignatione & arbitriâ pœnâ, vetant.

Edict. pen. Febr. 1610.

3. Fama, inquiunt, mihi ablata eſt. Et ideo oportet ut ejuſdem petam reſtitutionem, per media uſu recepta. Reſp. 1. Reverâ mihi nequit auferri fama, neque etiam fuit ablata, per injurias illatas, non magis, quam ſi quiſpiam ſolis claritatem ablatam dicat, ſi quis aerem ſitu, & cineribus & fumo coinquinare voluerit.

l. nihil noſtrum. D. de Reg. jur.

Quid an honor propriâ virtute acquiſitus, adeoque noſter factus, ſine noſtro facto, auferri poterit? An igitur delictum commiſſum, ſi quis patienter ferat injurias, an ſi inferat? Ergone

gone honor amiſſus Servatoris, quot toties alapas pertulerit, conſpui ſe paſſus ſit, & mille affici contumeliis? Nimis certe, nimis lubrico loco poſita eſſet viri boni fama & exiſtumatio, adeoque male cum illo ageretur, ſi à cujuſvis hominis arbitrio dependeret, & ad nutum peſſimorum diminueretur. Ut maximæ ſit dementiæ vereri, ne per injurias nobis illatas honor auferatur, aut per alterius diffamationem infamemur. Quid quod nullibi in jure inter modos, quibus alicui infamia irrogatur, injuriandi modus, quo peſſimi male loquuntur melioribus, referatur. Etenim nonniſi lege, vel edicto, vel ſententiâ judicis, vel genere pœnę infamem quem fieri poſſe obſervamus. Ut ſi quis alios hic nobis modos fabricet, ſine lege, ſine ratione loquatur, adco-

eoque audiri non debeat.

4. Objic. Nobilis ſum & bene natus, nec ignarus meæ conditionis, quicquid hic in adverſum oggannіant plebei. Aliter enim mea, aliter illorum injuria vindicanda. Reſp. Ergone apud Deum habebitur ratio perſonarum? Aut qui præclaro genere prognatus, ſplendore progenitorum excuſabitur, ſi contra divina oracula aliquid attentare fuerit auſus? Ergone Chriſtus Salvator noſter nobiliores excepit à regulâ à ſe tradita, ut malum bono rependeremus, & ne noſmet ipſos ulciſceremur? Unde quæſo inter ejuſdem naturæ conſortes, hæc exorta eſt inæqualitas? Hic forte quia præfulgidus eſt, divitiis affluit, ſemetipſum poterit, imo debebit vindicare. Ille, quia omnibus illis caret injuriarum erit patiens, ut illi ſoli quidvis impune

pune dici ac fieri poſſit. Quaſi non æque rationis particeps ſit, qui obſcuris, quam qui præclaris ortus eſt parentibus. Et non cuique mortalium, injuriarum ſenſu affecto, eadem & par conceſſa facultas adverſus injurias illatas ſemet tuendi, vel eas ferendo, vel etiam inferendo. Quid hoc aliud eſt, quam Deo diffidere velle, penes quem vindictæ judicium, & executio, quaſi non juſtus omnium injuriarum ſit vindex, nec æque ſit vindicaturus illatam forte nobilibus injuriam, quam factam plebeis. Ut iniquus ſit in Deum, qui vindicem gladium tantum magiſtratubus concreditum, illi eripit, ſibique hoc attribuit, quod inferioris ſortis homini denegatum ſtatuit. Non ita certe fieri oportuit. Neque enim, quæ Deus in aliquem contulit beneficia, nobilitatem hono-

rem, & opes, ideo conceſſit, ut vilioribus vitiis præluceret, aut quicquam ſibi licere exiſtumaret, in aliis quod improbatum. Verùm, ut reliquis in virtutis tramite eſſet viæ ductor, ſibique minus licere exiſtumaret, quo plus beneficii acceptum, & quo major rependenda erat gratia.

l. Julian. 26. D. ſi quis omiſſ. cauſ. Teſtam. l. reprehendenda 5. Cod Inſtit. & Subſt. Prov. 22. Barb. jur. axiom. in v. *fama*. Gloſſ. ad l. iſti quidem. 8. D. Quod Met. cauſ. Menoch. conſil. 302. n. 6. vol. 4.

5. Objic. Honor eſt cæteris vitæ rebus præferendus, omnique commodo pecuniario, omni utilitati. Idque etiam ex dicto Salomonis: quod nomen bonum ſit melius unguento bono: & fama bona, theſaurus inæſtimabilis.

Cumque abſque omni dubitatione vitæ præferatur. In tantum etiam ut Apoſtolus Paulus mori maluerit, quam ut gloriam quis ei auferret. Et fama nobis oculis noſtris ſit charior, qui tamen vita ſunt chariores. Adeoque jactura

famæ morti ſit ſimilis, ſi non ipsâ morte gravior. Saltem infamia & mors inter ſe comparentur. Et propter defenſionem vitæ, ac bonorum liceat occidere. Quidni igitur etiam licebit, in famæ defenſionem, injuriantem & infamantem necare.

Francisc. Vivius l. 2. deciſ. 399. 1. Cor. 9. l infamia 8. Cod. de Decur. libr. 10. Rimin. jun. conſil. 5. n. 98.

Verùm Reſpondeo. 1. Etſi fama ademptâ plus cenſeatur amiſſum eſſe, quam ſi vita eſſet amiſſa: non tamen hinc ſequitur: ergo in defenſionem famæ licitum eſt occidere injuriantem. Et quia per provocationem, per vulnera, per cædem adverſarii injuriantis, non tam defenditur fama, quam ſi quæ ſuperſit, amittitur. Nec cenſetur eſſe reſtituta per eum, qui ut nec infamandi in rei veritate, ſic nec reſtituendi famam habet poteſtatem. Et quia qui duello provocat injuriantem, non tam hoc agit ad de-

l juſta. 9. D. Manumiſſ vindict. Clarus. §. Homicid. num. 26. Treuil. vol. 2. diſp 32. Theſ. 6. litt. 8.

defenſionem honoris, quam potius ad reparationem famæ, quam cenſebat eſſe læſam per adverſarium. Aſt, dum aliquis utitur moderamine inculpatæ tutelæ; non vitam amiſſam, vult recuperare, quam malo tempeſtive occurrere, ne vita amittatur. Illic igitur agitur ad reparationem, ad vindictam, ad reſtitutionem ejus, quod vanâ opinione cenſetur amiſſum, non tamen amiſſum eſt. Hic agitur ad propulſationem mali quod vitæ non quidem nocuit, ſed noceret, adeoque certi defendendi gratiâ, id eſt retinendi, non vero recuperandi. Illic agitur de damno, dato, ſed reparando hic de damno infecto, quod metuitur evitando. Illic reparari volumus, quod amiſſum eſt; cujuſque reparandi remedia nobis jure ſunt prodita, nec ullum in morâ poſitum eſt periculum.

Un-

Unde etiam pollicentur illi, quibus ſumma rei commiſſa eſt, ſe cujuſque exiſtimationem, ſi forte læſa ſit, aut imminuta reſtituturos. Hic avertimus malum, quo admiſſo fruſtra poſtmodum remedium adhiberemus. Ut utrobiq; ſit diſpar longe ratio. Unde licet in uno atque altero caſu fama & vita inter ſeſe æquiparentur, præſertim in favorabilibus. Non tamen hinc ſequitur, quod per omnia ſint æqualia.

Gothefr. ad d. l. 9. D. Man. Vind.

Etiam alimenta & vita inter ſe comparantur. Nec tamen hinc quiſpiam intulerit, pœnâ l. Corneliæ de Sicariis aſſiciendum patrem, aut fratrem, qui alimenta filio aut fratri denegat, quod eâ pœnâ teneatur, qui occidit.

l. Necare. 4. D. Agnoſc. & Alend. liber.

Objiciunt. 6. Quod propter metum ſtupri, qui metus eſt infamiæ, liceat ſtuprare volentem occidere; ut idem permiſ-

l. Iſti quidem. 8. §. 2. D. Quod Met cauſ.

 ſum

ſum videatur in eum qui voluit infamare. Reſpondeo enim diverſam eſſe rationem. Stuprum inferri potuit, ab eo qui ſtuprare conatus eſt: verum infamiam inferre non potuit is, qui habuit animum infamandi. Actus ſtuprationis ab arbitrio pendet ſtupratoris, ſi me ſit robuſtior. Infamiæ notam alicui inurere non eſt in cujuſquam poteſtate; cum quis nonniſi proprio aliquo facto antecedente jure fiat infamis. Inſuper ubi agitur de ſtupro avertendo, forte agitur etiam de corporis defenſione, quod per ſtuprum, animo non tantum, ſed & corpori fiat injuria. Ut ejus cauſa legibus Romanis occidere fuerit permiſſum. Ubi vero agitur de illatâ injuriâ honori aut exiſtumationi; ibi nulla eſt corporis, aut honeſtatis defenſio. Non illa, quia facta verbis, aut ſi fuſtibus, non nega-

l. 1. ſ. 4. D. Ad l. Cornel. de Sicar. Harmenop. libr. 6. tit. 5.

negavero, quin in continenti, ea averti poſſit, adeoq; adverſarius iniquus repelli.) Non hęc, quia ſecundum adverſarios, non defendunt, ſed reparant, vindicant injuriam illatam, idque citra neceſſitatem, idque propria auctoritate.

Objic. 7. Licitum non ſolum de jure civili vim corpori illatam propulſare, ſed etiam quamcunque injuriam. Reſpondeo enim, non agi in d. l. de injuria aliqua verbis, aut geſticulatione illata, quaſi liceat injuriam non tantum verbis injurioſis, ſed & alio remedio illi damno proportionato repellere. Verùm de injuria corpori illata, idque per violentam aliquam invaſionem. Quod ipſum ſatis indicant verba d. l. ſubſequentia. *Nam jure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur.* l. veluti. 3. D. de Juſt. & jur.

Socin. Regul. & Fallent. 52. excep. 5.

Objici denique poſſent alias ab iis quæ ſubſequuntur. Cuivis licitum eſt propriâ auctoritate bona amiſſa repetere, atque vindicare, ſi per judicem juſtitia haberi non poſſit. Igitur etiam poterit fama vindicari, quando copia non eſt magiſtratus, qui eam vindicet. Aſt non cenſetur eſſe copia, ſi nolit magiſtratus illatam injuriam, vindicare, aut ſi differre malit, ne unquam injuriarum proceſſus ad finem perducatur. Paria enim ſunt in jure aliquem nolle, & non poſſe. Ut ſi dicat magiſtratus ſe non poſſe honorem læſum reparare, id privato cuivis in propriâ liceat causâ.

Barboſ. Princ. & axiom. jur. in litt. num. 22. Maſſa contra uſum duelli p. mihi 82. ibidemque Caſtrenſis alleg.

Nam quod aliter aut alio medio expediri non poteſt, eſt neceſſarium & ſufficit, ut illo experiatur medio, quo poteſt. Neceſſitas enim legi non ſubjacet. Et ſæpe facit licitum, quod

quod de jure eſt illicitum.

Ne & hoc addatur, neminem teneri eligere viam, per quam judicium ſuum evertatur, ſaltem ſciat ſibi ſatis conſultum non eſſe.

Barboſ. Axiom. in litt. 11. n. 6. 7 ibidemque ll. l. 3. D. Teſtam. milit. Idem n. 17. Plaut. Moſtell. act. 5. ſcen. 1. Barboſ. Princ. & Axiom. litt 1. n. 49.

Neſcis, enim, inquit Plautus, *quam meticuloſa res ſit ire ad judicem.* Præterquam, quod quis certo perſuaſus ſit, judicem cauſam injuriarum dilaturum eſſe, ut injuriam non faciat, ſi ſuæ conſulat indemnitati, quoquo poteſt modo. Cùm enim magiſtratus ſit officium, ne patiatur quempiam è populo injuriâ affici; quid ſupereſt, niſi ſi in illo deficiat munere, ſinguli ſuas reparent injurias, quod deficiente, magiſtratu, ſinguli videantur ſuum jus à natura conceſſum revocaſſe, ut eo gaudere poſſint. Ut enim capitis eſt in corpore humano univerſis & ſingulis corporis partibus conſulere, ſi ta-

tamen deficiat, ipſa pars affecta, ſibimet proſpicit. Ita & ſi magiſtratus malo remedium non paret, ſingulis ſaltem id ſibi parare permittetur.

Verùm reſpondeo, hæc quidem ſpecioſa videri, non tamen admittenda eſſe. Et quod tales ponantur caſus, qui non evenient, ut ſcilicet judices ſint denegaturi juſtitiam. Et ſi forte evenirent, præſtaret patienter injurias ferre, quam ut noſmet ipſos vindicaremus. Præſertim cum inter verbalem illam injuriam & vitam hominis injuriantis non ſit proportio. Et plus injurianti adimeretur, quia vita, quam nobis, quibus aliquid tantum, vana quorundam opinione, non in rei veritate ademptum eſſet. Ut omnes illæ regulæ, & axiomata allegata, potiſſimum locum habeant, in caſubus, ubi agitur de corporis adeoque vitæ, & bo-

bonorum defenſione, non item de honoris, (qui tantum ablatus, aut imminutus fingitur) reparatione.

Cap. XXXIII.

Quæst. I.

Utrum ſi quis aliquem exſpectet, dicendo; nolim tecum congredi, verum aliquo, ſum iturus, qui me adoritur virum me ſentiet: excuſetur à delicto?

CIrca duella inter milites atque nobiles varii incidunt caſus, quibus ſtatuta duellorum prohibitiva, eorumque pœnas evitare conantur. Unde quæſitum, utrum is, qui aliud quaſi agendo, id eſt ſimulando ſe cum adverſario, à quo provocatus eſt, congredi nolle, dixerit adverſario: oportet ut

ut peregrè abeam, & qui me in itinere fuerit adortus, me virum ſentiet, à pœna duellatoribus impoſita ſit exemptus? Reſp. quod non. Id agit enim, quod omni jure illicitum eſt. 1. Quia deſignat locum & tempus, & exit animo depugnandi, ut ex pacto ex condicto duellum ineat, adeoque non tantum in culpa, ſed & in dolo eſt conſtitutus. 2. Quia non ille tantum in leges impingit, qui agit adverſus legis verba, ſed etiam, qui adverſus ſenſum ac ſententiam. Et fraus fit legi, quando non quidem propalam, ſed per conſequentiam, non directe, ſed indirecte legi adverſamur. Ut æque ſeverè in taliter delinquentes ſit animadvertendum. 3. Quia homicidium ex voluntate in tali duello factum præſumitur, cum non ſit ex neceſſaria ortum defenſione. Et

Fragoſ. part 1. Reipubl. Chriſt. libr. 1. diſp. 2.

§ fin. in fin. Inſtit. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt. l. 29 l. 30. D. de legibus.

Gail. de Pac. Publ. lib. 1. c. 16.

Et omnis ille actus cenſetur illicitus, in quo dolus præſumitur. 4. Quia vindicta eſt, non defenſio, quando provocatus primum ad actus divertit extraneos, ut accidit in caſu propoſito, neque in rixa aut in continenti propellit injuriam. 5. Quia unuſquiſque tenetur quantum in ſe eſt periculum effugere & evitare, non autem ejus quærere occaſionem. Nam qui periculum amat, etiam in illud incidet. Verùm qui ſtatuit locum & tempus, quid aliud agit, quam ut adverſario ſecum depugnandi copiam faciat, ſuggerat occaſionem; ut meritò illius mali promotor & auctor ſit dicendus, quod aliter præpedire potuiſſet.

Gail. de Pac.Publ. loc.citat.

QUÆST.

QUÆST. 2.

An quis aliquem licite occidat, ſi primum illi conceſſerit, aut permiſerit arma?

QUandoque accidit, ut qui ſe læſum exiſtumat adverſario in loco ſolitario fiat obviam. Cumque eum abſque enſe reperiat, in hæc forte verba erumper. Unde tu timide? quære tibi enſem, & quantocyus ad me revertere; ego hic ſubſiſtam, teque exſpectabo. Unde quæſitum, an ſi adverſarium revertentem, & gladium ſtringentem interfecerit, id jure feciſſe dicatur? Reſp. Minime gentium. Et quia non incidit in inſidias, adeoque ſemet legitime tutatus non eſt, ſed irruit in eas; non evitat malum, ſed provocat, quod etiam citra omne periculum effugere potuiſſet, adeoque debuiſ-

§. 2. in fin. Inſtit. Ad l. Aquil.

buiſſet. Et quia ex condicto cum adverſario congreditur, ſedatâ mente, & quidem ex intervallo, non in continenti, ut vim vi non repellat; adeoque in nullo moderamen inculpatæ tutelæ ſervaverit; per allegata in ſeq. Idem quod dicendum de adverſario, qui domum ivit, gladium petiturus. Injuſtam enim habuit depugnandi cauſam, quin non neceſſariam. Incurrit in periculum, quod domi manendo evitare poterat. Unde nec in conſcientiâ redire tenebatur, licet ſe reverſurum promiſiſſet. Quod in malis fidem reſcindere non ſit peccatum; hoc quippe nihil aliud eſt, quam vinculum iniquitatis diſſolvere. Ne addam, quod uterque vindictæ cupiditate ſtimulatus, propter illatas vel acceptas injurias ſuſcipiat duelli conditionem: ut neuter ſit extra legis pœnam conſtitutus.

l.6. Cod. de Pact. l.7 § generaliter. D.eod. l.15. D. de Condit. Inſt. Fragoſ. loc. ſupr. alleg. leſſ. libr. 2. de juſt. & jur. c. 9. p. 94.

QUÆST.

QUÆST. 3.

Utrum qui inſignibus vel armis alterius familiæ uſus eſt, duello provocari poſſit?

Carpzov. de Leg. Reg. German cap. 10. ſect. 7. art. 18.

IN tantum de opinatâ quâ exiſtumatione, & honoris apicibus inter ſeſe contendunt viri nobiles, ut etiam juſtiſſimam certaminis ſingularis ineundi cauſam exiſtument, ſi de pręcedentiæ jure oriatur quæſtio. Et quod huic malo cõfine eſt, ſi inſignia nobilium aliquis aſſumpſerit, qui non erat de familiâ, nonniſi duello armorum furtum vindicari poſſe cenſent. Nulla tamen ratione, nullo fundamento. Etſi enim grande dedecus ſit, nobis eripi noſtra inſignia, quæ ſigillo noſtro comparantur, & ex quibus dignitas dependet familiæ. Non tamen ideo licebit eorum gratiâ, aliquem duello provocare, multo minus occidere. Cùm enim

enim honoris conſervandi gratia initum duellum, rationibus ſuperius allegatis, per omnia fuerit improbatum, multo magis illud quod ſuſcipitur armorum ereptorum gratiâ. Neque enim unquam in rei veritate nobis periit fama, aut ademptus familiæ ſplendor, ſi quis armis noſtris fuerit abuſus. Præterquam quod ſi hic læſa ſit exiſtumatio, ea publico judicio, publicis legibus reparari poſſit. Ideo enim conſtitutiones à Principibus ſunt emiſſæ, quibus pœna ſtatuitur in eos, qui non propriis utuntur armis, vel nobilitatem prętendunt, quam non habent. Ideo etiam armorum Præfectis, & Principibus, quos Heraldos appellant incumbit officii nomine, ut in ſingulorum inſignia inquirant, & ſi quem non ſuo uſum fuiſſe appareat, in eum animadverti curent.

diſſ Chaſſan. Catal Glor. mund. p. 35. Conſt. Philipp. 2. de ann. 1592. 23. Sept. Albert & Iſabell de ann. 161 Jan. 7. libr. Conſt. Brabant & Flandr. 2. part. tit. 4. libr. 2. c. 1. 2. 3.

Ut fruſtra ad arma confugiant partes, quas magiſtratus ſecundum ſuam jurisdictionem poteſt compeſcere, & quarum lites ſine ſanguine ſopiri poterunt.

Quæst. 3.

Utrum duellum religionis gratiâ ſuſceptum, ſit licitum?

Adeo altas radices religio hominum animis infixit, adeoque effervescens eſt eorum circa religionem amor, ut licet zelo inordinato, ea omnia probanda exiſtument, quæ pro eccleſiâ fiunt, quæ ipſi pro religione faciunt. Unde etiam duella ſuſcipi poſſe cenſent cum hominibus impiis, & in Deum ſupra modum injuriis. Præſertim, ſi eam quam profitentur religionem, calumniis, ac dicteriis gravare, atq; conſpurcare ſatagant. Dicendum,

dum, nihilominus, licet zelus pro religione laudandus ſit, non tamen ille, qui eſt inordinatus, excedens illos limites, quos Deus ei poſuit in ſuo verbo. Ratio 1. eſt. Quia æquum non eſt religionem aut fidem, ex fallaci & fallibili medio ſuſpendi. Quod fit, dum de bonitate & veritate religionis per duellum judicium petitur, & fit indicium. Ratio 2. eſt. Quia non temere miraculum à Deo exſpectandum aut petendum, in caſu, quem Deus ordinario modo, non extra ordinem decidi voluit. Sunt Moiſes, & Prophetæ, ſunt euangelia, ſunt Apoſtolorum ſcripta, ex iis convincendi & iis ſuperandi adverſarii, non certamine ſanguinolento. In converſione & confutatione hæreticorum opus eſt armis ſpiritualibus, non gladio. Ut hic locus ſit illi dicto Salvato-

ris,

ris, qui gladiũ ſtringit, gladio peribit. Ratio 3. eſt, quia vindicta gratiâ injuriarum Deo, aut ejus verbo illatarum, nullibi privato adverſus privatum eſt conceſſa, ut quam Deus ſibi, tanquam majeſtaticum & regale reſervavit. Aut ſi ad blaſphemias uſque progrediantur homines peſſimi, prodita ſunt alia remedia, magiſtratui gladius ultor conceſſus eſt, aliique vindicandi modi, quibus in tales, idque ſecundum leges, ſecundum ſtatuta etiam militaria animadvertendum eſt.

Levit. 24 v. 13. & ſeq. Novell. 77. Clarus. §. blaſphemia. Inſtrum. jur. Militar. art. 2 1. ibidemque in comm. Pappus.

Mitiore tamen pœnâ aliquem puniendum eſſe cenſerem, ſi contemplatione pietatis & religionis, licet cœco & perverſo impetu, duellũ cum hoſte religionis iniverit; quaſi, ut alibi gloſſa, minus ſit peccatum occidere paganum, quam Chriſtianum. Et ita factum etiam in patriâ civitate Heuſdâ. In

qua

qua cum miles, centuriæ D. Harbord origine Scotus, cui nomen David Hankock, à milite Gallo provocatus eſſet, etiam nominibus injurioſis ejus religionem tangentibus, quod *puritanus* eſſet, *præciſiſta*, &c. irritatus, duellum oblatum ſuſcepit, Gallum ſemel atque iterum in terram proſtravit, & tertium cum illo concurrens ad necem uſque vulneravit. Causâ ad conſilium militare delatâ, veniam delicti impetravit, quod religionis quam profitebatur, gratiâ duellum, ſibi oblatum, inivilſſet.

Gloſſ. in cap. Rebaptizar. de conſecrat. diſtinct. 4.

Simile exemplum refert Zypæus, de Nobili quopiam, Belgicas ditiones regente Mariâ Hungariæ. Is, inquit, in rixâ, ob religionem motâ, hæreticum quendam (ſic loquitur), gravi pugno occiderat, & pro abolitione criminis,

Zyp. Pont. Nov. Anal. Enarrat. libr. 5. tit. de Pugnant. in duell.

reginæ ſupplicabat. Quæ ob zelum & abolitionem ei dedit, & præterea nobile officium, quod forte tum temporis vacabat.

Quæst. 4.

Utrum duellum licitum, quod inter rivales ſuſcipitur?

Albert. Krantzius libr. 2. Dan. cap. 4. Olaus libr. 4. cap 5.

MUltos reperiri vanos amatores, qui amoris fortunam armis decidendam eſſe cenſeant, comprobant, & ſuperioris, & noſtri ævi exempla. Neque alia videtur occaſio fabularum in Amadiſiis, quam torneamenta atque duella varia, inter corrivales virginum adamatarum gratiâ ſuſcepta. Unde quęſitum, utrum talium generum certamina, amoris æſtu inita, ut licita tolerari poſſint, aut ſaltem excuſari? Reſpondeo, etiamſi nihil ſit vehementius cupidinis fu-

rore,

rore, neque amoris inſania rationis fræno ſe regi aut ſubjugari ſemper patiatur, ut eam cohibere ac compeſcere philoſophiæ ſit perfectæ. Attamen, quia cuivis ex officio incumbit, ut ſuis imperitet affectubus, ne modum excedant; & peccat in leges, qui eos ſinit juſtitiæ limites tranſilire; dicendum erit, tali duello juſtam provocandi cauſam non ſubeſſe. Ratio 1. eſt. Quia injuſte agit, qui adverſarium per vim & metum, quin per arma, eo conatur adigere, ut abſtineat ab eo, quod ſuum non eſt, aut ſibi debitum; ut evitet conſortium ejus, in quam nihil juris habet provocator. Nondum enim cum virgine contracta ſponſalia, nondum interceſſit votum, ut commune bonum ſit dicendum, quod cedet primo occupanti, & in quo nihil juris huic aut illi etiamnum Novell. 74. c. 4.

quæſitum. Ratio 2. eſt. Qui
qui in ſingulari certamin
gratiâ puellæ ſuſcepto adver
ſarium interfecit, id agit ani
mo invido, atque malevolo
idque conſortis impatientiâ
Ut homicidium deſtinato ani
mo factum, & quidem prav
affectu incitante, veniam no
mereatur. Ratio 3, eſt deſum
pta ab incommodo, quod tal
duellum comitatur. Aut enin
qui provocat corrivalem occ
dit, aut ipſe in infauſto duell
occumbit. Si illud eveniat
ſperato fine excidet, fructu a
moris privabitur, & extera
oras, ut extorris, aut exul le
gere compelletur, quo ſeſe fu
neſtis carnificis eximat ma
nubus. Quin imo quæ fort
eum antea animitus adamabat
jam, tanquam homicidam de
teſtabitur, & jure merito odi
perſequetur. Sin vero pereat
loco maximæ fælicitatis, ſor
ten

tem miſerabilem ſubit; quod unâ cum amore, honorem & vitam amittat, & niſi forte circa poſtremum vitæ momentum pænitentiam agat, animam ſimul eat perditam. Atque ita, cui minime favebat, hâc occaſione viam apertam reddidit ſuâ morte, eam inviſendi, ſi forte remiſſionem impetraverit, quæ hactenus tanquam aureum vellus, inter dracones cuſtodita aſſervabatur.

De jure tamen civili (ſic cenſeo) dici poſſet, eum mitiori pœnâ eſſe afficiendum, qui captus infelici cupidine, & amoris furore compulſus corrivalem exanimavit; quod aliquo auxilio, & miſericordiâ dignus ſit habendus.

l. 1. Cod. Senatuſc. Claud. Tollend. Tiraq. cauſ. 4. de Pœn. Temper. & Remitt. Menoch. arbitr. libr. 2. caſ. 328.

CAP. XXXIV.

Rationes diſſuadentes. ſingula certamen, proponuntur.

QUia vero non Barbaris a Ethnicis, verum Chriſti nis potiſſimum ſcribo, id nonnulla duella diſſuadent in medium proferam; quib forte animus, non in totu depravatus, ſiſti poſſit, ne ru ad vindictam per grande p riculum. Quiſquis igitur duella proclivis eſt, & facile a ea provocat, cogitet, ſeſe idq ex illo trito, miſerum futu rum: quod provocatores ra ſint fælices. Ut illis id eveni ſæpe, quod de cignis refert A riſtoteles. Nunquam pugna inchoant, impetiti autem a aquilis ſemper ſuperiores ex ſtunt. Idque juxta illud An tiphontis, oratoris Attici: In

Ariſtot. libr. 9. de Animal.

C

cipienti ubique magnæ pœnæ ſtatutæ ſunt, defendenti vero nulla pœna denunciatur. Exemplo ſuo id amplius declaravit Romulus qui ab Acrone Cercinenſium rege provocatus, occiſo Acrone, fuſiſque hoſtibus, opima de eo ſpolia Jovi Feretrio tulit. Quod ſi quiſpiam fuerit provocatus, cogitet ſe non ideo timidum eſſe aut ignavum, quod provocanti congreſſum deneget, ſed potius fortem & animoſum, ut qui id deneget, quod in conſcientiâ illicitum eſſe judicat, & per leges humanas prohibitum. Ille enim qui provocat, furiis cupiditatum horſum vorſum jactatus, non aliter atque levis arundo vento impetuoſo, ſui juris non eſt. Ille vero, qui provocanti non paret, ſecurus eſt, adinſtar cubi immobilis, ut qui affectuum turbine non agitatur. Qui eo

Valer. Maxim. libr. 3. cap. 2.

ipſo fortitudinem exſerit, quod temerarios ſuâ conſtantiâ ſuperet, quod propriis imperitet affectubus, neque ab iis ſeſe abripi patiatur.

Plutarch. in Apo- ptheg. Ut huc referri poſſet illud Caji Marii, qui in bello civili foſsâ ſe cinxit, obſeſſumque continuit, donec opportunam erumpendi nactus eſſet occaſionem. Cumque Pompeus Silo eum provocaret ſuperbâ voce, ac diceret: ſi magnus es Imperator ô Mari, deſcende in certamen: imo tu reſpondit, ſi magnus es Imperator, coge me vel invitum decertare. Scilicet Marius Imperator erat Maximus, quod alterius provocationem contemptu ſuperaſſet. Et quis non duella contemnet, qui conſiderat ea non eſſe laude, ſed vituperio digna. Neque enim unquam legimus hiſtoricos, in honorem ejus, qui ad duella nimis

faci-

facilis erat, quicquam ſcripſiſſe. Ne dicam nullam gloriam eſſe in duello, quod non habitâ ratione dignitatis, ordinis à quovis, etiam viliſſimo indiſtinctè ſuſcipitur. Nam vel famulus dominum, homo ſordidus, turpitudine notatus virum fortem & probum provocabit. Quæ etiam ratio fuit, quod Alexander, cum nonniſi plebeios in Olympicis certare videret, currere noluerit.

Cogitet inſuper quiſquis in duella pronus eſt, multa ſuadere ut injuriarum ſimus obliviosi. Suadet hoc ipſum Mandatum Chriſti, quo vult, ut facile injurias nobis illatas remittamus, nec ad animum eas revocemus, additâ hâc promiſſione, quia ſic etiam remittetur nobis, noſtrum debitum. Suadet hoc noſtræ vitæ tranquillitas, quam unam cupimus, ac deſideramus. Nam

qui injuriam injuriâ comp
ſat, ſemet ipſum grandi n
afficit; & in magnas ſemet
jicit calamitates. Ita enim
juriarum hinc inde non
finis; cum ſi ſemper aliq
reponendum ſit, ſemper eti
ſupereſſet ultio. Suadet l
vitæ noſtræ imperfectio,
quâ, cum indies peccem
in proximum, adeoque ali
rum opus habeamus remiſſi
ne, æquum eſt, nos etiam tal
eſſe erga delinquentes, qual
illos erga nos peccatores e
optaremus. Suadet hoc D
facilitas erga nos in cond
nandis peccatis; qui cum ſ
omnis expers maculæ, ſæpi
ſimeque à nobis contumeli
afficiatur, non tamen nos pro
vocat, aut vindicat injurias
ſed ad ignoſcendum ſe facilem
prębet. Cur igitur nos miſer
peccatores, opinione tantum
noſtrâ, non in rei veritate in-
juriâ

juriâ affecti, ad condonandum proximo eſſemus adeo difficiles, ac ſi omnis apud nos charitas exularet? Suadet hoc etiam exemplum Joſephi, Moiſis, Davidis, aliorumque virorum piorum qui cum potuiſſent, contumelias tamen ſibi illatas, ſeverè non vindicarunt. Idem ſuadent exempla Gentilium: Socrates enim rogatus, cur ſe percutientem in jus non vocaret, ridiculum, inquit, ſi aſinum calcibus percutientem in jus traherem. Et Philippus Macedo, amicis ſuadentibus, ut maledicum domo exigeret: non faciam, inquit, ne circumiens, inter plures maledicat. Cæſar etiam hoc potiſſimum nomine à Cicerone commendatus eſt, quod nullarum rerum, quam injuriarum, facilius obliviſceretur. Nec incognita Thraſybuli hiſtoria, qui cum deletis 30. Ty-

Geneſ. 45. v. 12. 1. Sam. 24. 2. Samuel. 16.

rannis, quod poſt bellum Peloponneſiacum Athenis injuſta & crudelia Imperia exercuiſſent, in urbem rediiſſet, ἀμνηςίαν ſanxit; id eſt nullam inter cives veterum injuriarum memoriam extare.

Jacob. c. 1. v. 19. Ampliùs, qui facile in duella prolabitur, pellat, quoad poterit, omnem iram, à quâ nihil rectè fieri, nihil conſideratè poteſt. Maxime Apoſtoli Jacobi ex ſenſu, ad iram ſit tardus: quod iræ maximum remedium ſit mora. Nam ſi quis non fuerit adeo præceps, poſtquam ad ſe reverſus erit, illi facile condonabit, quem forte aliter calente animo duello provocaſſet. Pellat ulterius omnem invidiam, & quamcunque evitet occaſionem quæ ad eam deducat. Certum enim invidiam quam maxime, ſi ullus alius affectus, ad duella nos ſtimulare. Hæc enim

enim ſola in cauſa fuit, quod Cain occiderit fratrem Abelem; quod Saul Davidem fuerit perſecutus. Ille ſiquidem ægrè tulit fratrem Deo charum fuiſſe; hic indignatus eſt laudem à fœminarum choreis tributam fuiſſe bene merito. Ut ubi invidia eſt, ibi fraternitatis amor eſſe non poſſit: quod qui invidet, non amet. Præceptum Diaboli in illo eſt; quia Diabolus invidendo cecidit. Tolle igitur invidiam, & tuum eſt, quod habes. Tolle invidiam, & meum eſt, quod habes, inquit, Auguſtinus in Johannem.

Ampliùs qui in Duella proclivis eſt, cogitet quam turpe, quam iniquum ſit, obedire homini provocanti, & non auſcultare Deo, interdicenti, ne provocantem ſequatur. Duplici nomine miſer eſt, Principio quod ſemet exponat periculo

riculo, dum ad ejus nutum, cui infenſus eſt, gladium ſtringit. Si enim ſuperior evadat, vitam quidem ſervat, verum tamen bonam famam apud bonos, conſcientiam bonam apud Deum perdit, & nihil ſupereſt, niſi ut metuat ignominioſam carnificis manum. Sin pereat, unâ cum exiſtumatione vitam amittit, forte etiam æternam. Et ita poſteritati exemplo eſt, ne adeo temerariè periculo ſeſe exponat, quod qui periculum amat, in illud incidat, & qui gladio ferit, gladio pereat. Deinde miſer eſt, quod ejus veſtigia, quem odio habet, imitetur, & ad ejus exemplum ſeſe obvertat. Et quem peſſimum judicat, ſuo collaudet facto, ejuſque iniqua opera approbet. Ex adverſo, Deum quem optimum novit, quem amat, ſaltem quem amare ſejactitat, deſerat, nec ad

ejus

ejus imitationem ſeſe componat. Ut nihil aliud agat, quam ut ſemet perdat funditus; cum ſe providentiæ ac tutelæ divinæ, quantum in ſe eſt, eximat. Obſervat enim Deus greſſus cujuſque, eos dirigit, quemque cuſtodit, ſi modo in viis ejus ambulet. Verùm ſi ductum ſequatur pravarum cogitationum, atque à ſemitis rectitudinis recedat, jam Deo non amplius erit commendatus, ut qui illum ſibi linquet, ſuiſque committet cogitationibus. Et ita tandem eventus miſerabilis commonſtrabit, quam non ille à Deo ſit derelictus, qui primitus vias Dei dereliquit. Illi quidem Deus largitus eſt animum, & fortitudinem, docuitque manus ejus arma tractare. Verùm quid aliud agit, quam ut beneficiis, à Deo ſibi conceſſis, abutatur, ad rebellionem in Deum ac damnum

in proximum. Qua ratione dona non redundant in auctoris honorem, ſed ignominiam. Nec beneficia redeunt à quo profecta, verum diriguntur in uſum Diaboli, qui infenſiſſimus largitoris benefici hoſtis. Ab illo talis ſe regi ac duci patitur, illius veſtigiis inſiſtit, ac preſſo pede ejuſdem calcat ſemitas, qui duellantium gregi miſcetur. Ille quippe primitus per ſerpentem hominem impulit ad tale factum, quod mors confeſtim eſt ſubſecuta. Ut illum homicidium habeat auctorem, qui homicida ab initio, quique etiamnum talis, dum quaſvis cuivis ſuggerit occaſiones, quibus ſe læſum opinetur, neque aliter damnum reſarciri poſſe credat, quam morte lædentis. Cogitet amplius id in gloriâ Chriſtiani redundare, ſi ſequatur veſtigia ſui Salvatoris, eaque ſi fieri poſſit,

poſſit, etiam aſſequatur. Participem enim eſſe diſcipulum afflictionum ſui magiſtri, quid aliud eſt, quam velle unâ cum magiſtro ejuſdem conditionis eſſe participem. Ut patienter quemq; ferre oporteat contumelias, & injurias ſibimet illatas, vindictam Deo committendo, uti ipſe Chriſtus ſuas æquo animo pertulit, nec eas ulciſci voluit. Et uti non eſt infamiâ notandus miles, qui quæ peragit, mandato ducis peragit. Nec ignominiæ notam ſubditus incurrit, qui ſui principis edicta tuetur. Ita nec turpitudinis maculâ aſpergitur, qui renuit conditionem duelli quia Salvator noſter, dux noſter mandat, jubet, ferendas eſſe injurias, ac differendas, malumque illatum bono eſſe rependendum. Ipſe ſecurus omnium, Deo patri vindictam injuriarum illata-

rum

rum commiſit, non amiſit. Ita ſi quis gravia paſſus ſit nec commode eorum reparatio per judicem fieri poſſet, aut negligatur, Deo cauſam ſuam deferat, qui talia remedia adhiberi curabit, qualia ad damni illati reparationem judicaverit optima. Solus ille ſapiens, ut rite ſit judicaturus, quâ quis injuriâ fuerit affectus; quamque pœnam, qui eam intulit, mereatur. Solus ille juſtus, adeoque ſi cui non jure illatæ contumeliæ, litem ſecundum eum, adverſus injuriantem, dabit. Solus ille omnipotens, ut non metuendum ſit, ne ille qui damno quem mactavit, elabatur impunitus, licet mortalium ſit potentiſſimus, vel legibus hominum exemptus.

Verùm auribus excipio illud Biantis. Scio equidem adverſarium aut ſerius aut ocyus pœ-

pœnas malitiæ laturum, ſed vereor ut illud adſpiciam, adeoque quid proderit me defuncto, adverſarium debitum ſupplicium perferre? Aſt tali ſuggeram, quod nimis anxiè vindictam petat, aut ſemet oblectare velit in ſupplicio malefactoris. Neſcit enim, cujus ipſe ſit ſpiritus; cũ tamen certo perſuaſus ſit, tarditatem ſupplicii, gravitate pœnæ compenſari. Ampliùs, quod iniquus ſit in Deum, dum, vindicari ſe vult Chriſtianè, ſaltem velle debuit, & tamen adeo feſtinanter delinquentem puniri deſiderat, cum nondum vindicatus ſit Chriſtus, graviſſimâ à Judæis injuriâ affectus. Ut illi ſuffecerit, Deum cauſam injuriati quondam eſſe vindicaturum, ſive injuria illata ſit bonis, ſive corpori, ſive exiſtumationi. Æque enim moderator univerſi, famæ rationem ha-

bet, atque vitæ, aut bonorum. Et quid ni? cum per miniſtri latus injuriâ ſit affectus dominus, ut qui miniſter eſt Dei ſuī fruſtra ſollicitus ſit, ne injuria maneat impunita. Adeſt dominus à latere, & injuriam ad animū revocat, quâ ſi ſibi facta eſſet, quia ſui facta eſt contemplatione. Chriſti hæc fuit praxis, hoc inſtitutum, qui traductus, appellatus Samaritanus, amicus telonum, ac meretricum, non provocavit injuriantes, aut vindictam expetivit, verum ſuam cauſam ei concredidit, qui juſte judicaturus eſt. Et ſiquidem, vindictam exigere quem oporteat à Deo, cur eam ilico exigere cupiet; cum certo perſuaſus ſit, Deum nobis obligatum eſſe conſtitutæ nomine pro injuriis illatis. Nunquam itaque, nunquam qui indigna multa audivit, ſe famam aut honorem amiſiſſe con-

conquæratur, cum patienter ferendo illata, Deum ſibi ſecerit debitorem.

Cap. XXXV. & Ultimum.

Remedia contra duella.

UT vero eradicentur Barbari mores, atque duella crudelitatis plena reſecentur, vitæ rectitudini adverſa, & reipublicæ maximè nociva; remedia nonnulla proferenda, quibus adhibitis, occaſiones duellorum ceſſabunt, ſaltem amputabuntur, ne facile in poſterum aliæ ſuccreſcant.

Nullum autem meo judicio ſalutarius contra duella remedium erit, quam ſi qui injurias intulerunt, debitas pœnas maturè patiantur. Et quo magis ad injuriandum homines ſunt proclives, eo etiam acrius & ala-

l. 1. in init. D. de Abigeis. l. quicunque. Cod. de ſerv. fugitiv.

alacrius in illos animadvertatur. Creſcente enim malitiâ, etiam creſcere convenit pœnas: & ubi frequentius eſt maleficii genus, ibi id duriſſime vindicandum. In tantum etiam, ut fuſtigatione, infamiâ, aliiſque pœnarum generibus eſſent coercendi, qui ſine modo ac menſurâ convicia in quempiam jacere ſoliti. Ita enim optime Rectores rempublicam adminiſtrabunt, & conſcientiæ conſulent. Idque ex illo Theopompi. Qui rogatus, quomodo ſecuriſſime regnum tueri poſſet, reſpondit ſi amicis libertatem juſta loquendi conceſſerit, & ſubditos, qui injuria afficiuntur pro viribus non neglexerit.

Plutarch. in Apophth. Lacon. in Theopomp.

Hoc ſi uſu obtineret, non adeo audacter & licentiosè conviciatores, qui reſponſo digni non ſunt, in virorum bonorum famam gra[illegible]arentur.

Ne-

Neque veritas & innocentia adeo contumelioſe acciperetur. Et nos forte non ea pateremur, quæ jam impune illi inferunt, qui non aliter quam mentiendo veritatem opprimi poſſe cenſent. Si enim conquæri liceret, & quidni liceret, quam non nuperrime nonnulli Ventidii Baſſi, calũniatores ſtrenui, inſulſo & illatino ſtylo, in bonos perplurimos, reipubl. Proceres, Reverendos Eccleſiaſtas, Venerandũ meũ Parentem, meq; ſupra modum injurii fuere. Qui cũ ſcribendi genere ſuperare non poterant, terræ filii (Medicum quempiam Trajectinum deſigno de *liene, proculdio tumente* (potius tamen *felle & bile* dixiſſet) ſcribentem, & Crypſium quem jur. doct. turpis Trapezitæ, filium, infamis de jure Lombardæ promachum) ad innumera mendacia & infrunita dicte-

dicteria, ſiç ut ne quidem à piè defunctis abſtineant, ut ſcurræ & ſycophantę ſolent, tanquam ad extremam anchoram confugerunt. Et quæ quondam ab hominibus ſceleratis, inter cæteros, à quopiam Rotterodamenſi, miniſtro ignominioſè dimiſſo, in vitam, mores, prædeceſſores Rev. Parentis fuere jactata, licet eadem publico judicio Rotterodamenſi ſint vindicata, etiam à Rever. Parente in præfat. ad *Primam theſium partem*, etiam à me in libello cui titulus *Pietas in Parentem*, & nuperrime in fin. tract. de *Auctoritate jur. civil. & Canon.* in Mareſio emblematiſtâ illo inſigni retuſa; eadem illa contra veritatem, ſcientiam ac conſcientiam reponunt. Et quibus ipſi carent bonis, homines invidi, iiſdem alios deſtitutos optarent. Poſtremum autem, digitum in Trapezitæ

filium

ſilium intendo, id urit potiſſimùm, quòd in Rev. Parentis prædeceſſoribus culpari nihil poſſit; quod vel iiſdē, vel Rev, Parenti; infamię maculam inurat; aut quòd nunquam infami aut turpi vivendi genere, victum ſibi quæſierint, ex patrimonialibus benè partis, ſe ſuoſque honeſtè exhibentes. Dum tamen ipſe cum omnibus ſuis, hactenus injuſtè quæſitis, uſus ſit, adeoque nihil præter illicitam illam Trapeziticam jactare poſſit. Quâ exhauſti ad medullam uſque egeni, (quorum ille cum ſuis enutritus ſanguine), tandem ni reſtituat, repetent, quod iis detraxit iniquus fœnerator. Idque ſecundùm illud Regum ſapientiſſimi, in Prov. c. 28. v. 8. *Qui multiplicat divitias ſuas uſurâ & fœnore, ad largiendum pauperibus congregat eas.*

Verùm non jam illis inquie-

tis ac turbidis prolixè reſpondebo : hîc enim tria verba ſufficerint. Interim exſpectabo quid reſponſi DD. deputati Ultrajectini in cauſâ Mareſii; à DD. Deputatis Groningancis ſint laturi, & an in eo acquieſcere debeamus. Quòd ſi nec illo, noſtro deſiderio, in abſterſionem omnium eorum quæ in nos injuriâ dicta, fiat ſatis; (præſertim cùm nuperrimè in ejuſdem Mareſii Apologiâ pro Salmaſio, mendacia eadem ſint repoſita, in quibus manifeſtè à DD. deputatis Ultrajectinis, eſt deprehenſus : ſcil. quod Rev. Parenti omnia velit imputari quæ illo inſcio à me conſcripta & edita :) neque innocentiæ atque honoris virorum bonorum habeatur ratio; occaſionem mihi datam exiſtumavero, quâ ſingulis reponam quod debeam, & vel bigam, vel trigam

gam virorum, veluti totidem parietes dealbatos, magis unâ fideliâ ſim dealbaturus.

Neque hic locus excuſationibus, & exceptionibus eſſe debebit aliquos affectu forte abreptos indigna multa bonis dixiſſe, & in eos emiſiſſe, quæ ad eorum tendunt ignominiã: Malorum quippe mores infirmitas illa animi excuſare non debebat. Neve dicatur, conſulendum eſſe exiſtimationi maledicorum, nec adeo rigide vindicandam eſſe injuriam, ut in eum qui eam intulit ſit animadvertendum. Cogitandum enim, eum qui injurias fecit, id quod alteri inferre conatus eſt, pati: præſertim cum mendacia de viro honeſto ſpargere, ſit majus malum, quàm lenocinium facere. Aliter enim ſi fiat, jam injuriâ affectus opprimeretur, damnum inferens elevaretur contra omnem

l. 1. Cod. ſi adverſus delict.

c. poſtulaſti. de Reſcript. Farinac. prax. crim. part. 4. conſ. 60. n. 130. 2. Corint. 8. v. 17.

juſtitiam. Adeoque duplici afflictione contra divinum textum oneraretur afflictus, & quod paſſus eſſet injuriam, & quod eam intuliſſet injuriam homo peſſimus impunè. Quæ res cum abeat in contemptum injuriati, eundem majori malo mactabit. Ut nihil magis officio ſit contrarium, quam ita alium ſervare, ut alter damno afficiatur. *Id enim eſſet & impium & irriſorem juſtificare, & juſtum impium facere, accipere perſonam impii, & declinare facere juſtum in judicio.* Quæ omnia Deo ſunt abominatio.

l. ſi quis ex ſignator. D. quemad. Teſtam. aperiant. l. ſancimus. Cod Admin. Tutor. Proverb. 17. v. 15. & 18. v. 5. Phocyl. Poem. Admonitorio.

Neque etiam dicatur, æquum non eſſe, ut propter rem leviculam, id eſt, illatas injurias, fuſtibus, aut ſimili quo inſtrumento, in injuriantes animadvertatur. Quia, non aliter evitabitur hoc malum, niſi ignominioſo quo pœnæ genere, tales puniantur.

Id-

Idque ſecundum illud Salomonis: *judicia irriſoribus eſſe parata, & plagas in gratiam ſtultorum.* Et alibi: *labia ſtulti, venire cum contentione, & os ejus ad percuſſiones vocare.* Præterquam quod cogitandum foret, eum qui non facit, id quod debet, non recipere, quod forte æquitas ſuaderet. Præterquam quod leges talē indignum judicent, aliquo humanitatis beneficio, qui impingit in leges.

Prov. 19. v. 29. Prov. 18. v. 6.

Cumque illecebra peccandi ſit ſpes immunitatis, eaque uti dicetur, ſit occaſio duellorum: nihil quidem magis injuriarum occaſionem ſuppeditabit hominibus peſſimis quam quod impune eas inferant, & faciant. Unde ſi judices ſevere injuriarum illatarum gratiâ in ſontes & quidem citra dilationem animadverterent, in poſterum ſibi maledici temperarent, linguam refrænarent.

Et vindicandi ſemet, per duella periculoſa & impia, innocentibus ablata foret occaſio.

Neque enim de duellis, injuriati cogitarent, certo perſuaſi, per publicas perſonas vindictam ſibi fore paratam. Nec contumelias pro ludo & joco haberent maledici, ſi ſcirent, ſe non impune, hoc

§ fin. Inſtit. de his qui ſui vel alie. jur.

eſſe laturos. Ita Imperator Marcus, quo à vitiis deterreret ſævientem nimium, hoc ſuo inſeruit edicto, *ſciat me hoc admiſſum ſeverius executurum.* Ac ſi non major eſſet deterrẽdi ratio, quam rigida pœnarum adverſus injuriantem executio. Quę

l. 1. D. Ad ſenat. Turpill. l. fin Cod. Calum. l. 1. D Ad l. Cornel. de Falſ.

etiam ratio fuit, quod antiqui legiſlatores multum curarent, ne cui impunita foret mentiendi libido. Hinc calumniantes ad vindictam poſcebat ex l. Rhemmia ſimilitudo ſupplicii, ex aliis legibus, aliæ pœnæ ſtatutæ, & quidem ſatis graves. Et

Id quod Comicus olim in remedium ſuppeditavit. Plaut. in Trinum. Act. 1. ſcen. 2. circ. ſin.

Quod ſi exquiratur, inquit, *uſque ab ſtirpe auctoritas.*
Unde quicquid auditum dicant, niſi id appareat,
Famigeratori res ſit cum damno & malo.
Hoc ita ſi fiat, publico fiat bono.
Pauci ſint faxim, qui ſciant quod neſciunt,
Occluſioremque habeant ſtultiloquentiam.

Et hoc eſt, quod ſpondent ad evitamentum duellorum in exercitu ſuis conſtitutionibus Principes Brabantiæ: *ſe offenſo honoris reparationem curaturos.* Zyp. loc. antea alleg. Idem quod conſtituerunt noſtri proceres Militaribus conſtitutionibus, ne quis impune injuriam alteri illatam ferret, quod ea res ſingulari certamini occaſionem ſuppeditaret. Articul. Militares artic. 24. & 44. Unde, qui alicui alapam, aut colaphum impegit, ei etiam in

præſentiâ cohortis alapa per eum, qui injuriam eam paſſus eſt, infligitur. Et inſuper, armis ſpoliatus, è cohorte ejicitur. Quin imo ſi verbalis ſit injuria, ea reparabitur aperto capite, quandoque armorum ſeu cinguli privatione & exilio.

Dixi in continenti, injurias alicui illatas eſſe vindicandas. id eſt, ut judicium ſuper injuriis, quam celerrime fieri poteſt, terminetur, ne homines litibus hujuſcemodi perniciosſis pendentibus, ad immortales & capitales inimicitias progrediantur, & ita tandem deſperatione adacti, dum ſibi jus denegari vident, aut ſaltem reſtitutionem contumeliæ illatæ protelari, ad injuriarum reparationem ſibi de mediis proſpiciant. Hinc etiam in exercitu moris eſt ut, ſi à milite miles ſit contumelia affectus,

ctus, judicium militare, ſtatim, & de plano ſuper injuriâ illatâ cognoſcat, parti offenſæ reparationem decernat. Utinam, ubique locorum & in omnibus dicaſteriis idem obtineret! non ita facile, maledici quem vellent, culparent, & injuriâ afficerent. Idem quod de nonnullorũ moribus obſervat Juriſc. Lambertus Goris, ſolitos judices in Galliis, in tractu Velaviæ, ſuper injuriis ſummarie procedere. Ne tandem *ex natis diſſenſionibus ſeditiones porro in perniciem reipublicæ naſcantur.*

Gor. Ad conſuet. Velav. p. mihi 190.

Quo nomine graviter peccant illi judices, qui cum poſſent, commode injuriis occurrere, id tamen non faciunt; adeoque duellorum, inde exortorum, autores ſunt dicendi. Ut vel ultimo judicii die, eorum omnium rationem „Deo ſint reddituri. *Æque enim*

Tiraq. de pœn. mitig. nd. tom. 7. cauſ. 44.

O 5 *pœnâ*

pœnâ dignus eſt, qui aliorum injurias, cùm prohibere poſſet, non prohibet, quam qui facit. Et ſecundum Agapetum in libello admonitorio ad Juſtinianum Imperatorem paria cenſentur peccare, & peccantes non cohibere.

c. qui poteſt. 23. quæſt. 3. *Nam qui poteſt obviare, & perturbare perverſos, & non facit, nihil aliud eſt, quam favere eorum impietati. Nec enim caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.*

Plutarch. apopth. Roman. in Catone. Ut Cato ſenior incitans magiſtratus in eos, qui delinquerent, puniendos, dictitaret, eos, qui poſſent, nec propulſarent injurias, lapidibus eſſe obruendos.

l. 2. 3. Cod. de Canon. largit. libr. 10. A quo non alieni Imperatores Leo & Anthemius, qui eâdem pœna officiales, puniri volunt, qui illicitas actiones non prohibent, & ſic in omittendo delinquunt, quâ illi, qui eas facere auſi fuerint. Con-

ſilium

ſilium hoc fuit Theodorici. Gothorum regis. *Illud*, inquit, *præterea vos credimus admonendos, ut non in vos, ſed in hoſtem ſævire cupiatis. Et poſt: Imitamini certe Gothos noſtros, qui foris prælia, intus norunt exercere modeſtiam.*

Ante Theodoricum ejus moniti illuſtre exemplum ſuggeſſit nobis Cæſar de bello Gallico.

Unde audacter loquitur Maſſa; & ad magiſtratus autem, & Principes ſpectat vindicare civium injurias, præſertim eorum fidem implorantium. Quod niſi faciat Princeps, eſt in culpâ: ſive is, qui injuriam intulit, in ejus ſit ditione, ac poteſtate, ſive ſit externus. libr. 5.

Ergo, inquit, ſi Princeps, cujus ſubditus eſt injuriam paſſus, convenienter requiſitus non curet officii ſui partes interponere, tacite quodammodo ſignificans ſibi placere, ut inter ſe armis decernant, is quidem jam non amplius Princeps vocandus

Anton. Maſſa contra uſum duelli. p. 78. 79. 80.

erit, ſed Tyrannus, cujus pravitatis inter alia proprium eſt, ſubditis jus non reddere, in populo diſcordias alere, viros præſtantes deprimere, & qui ſunt elato animo de medio tollere, vel ut ſe invicem perdant, alterum cum altero committere: quam ob cauſam duellum eſſe in Italiam introductum, idem auctor ſtatuit.

Quinimo niſi Princeps, aut magiſtratus injurias vindicet, non tantum ſingularis certaminis occaſionem ſuppeditat, ſed inſuper ſibi nonnunquam grande malum procurat. Nam qui ab adverſario impune ſibi fieri injuriam animadvertit, tandem non compos animi, vindictam ab eo repoſcet, qui in injuriantem animadvertere, vel noluit, vel neglexit. Ita Pauſanias nobilis ex Macedonibus adoleſcens, cum primis pubertatis annis ſtuprum ab Attalo fuerat paſſus, eoque no-

Juſtin. libr 9. Diodor. libr. 16.

nomine quærelam ſæpe Philippo Macedoniæ regi detulerat, ut vidit, cum variis fruſtrationibus non ſine riſu differri pœnam, inſuper honore ducatus ornari adverſarium, iram in Philippum vertit, & ultionem quam ab adverſario non poterat, à negligente judice exegit.

Et quia certius nihil eſt, quam illecebram peccandi ſpem eſſe Impunitatis, omneſque quia impuniti, peccant crebrius, ideo etiam duellantium eouſque prorumpit audacia, quod licentioſâ libertate atque conniventiâ fere nutritur. Quapropter meo judicio non minimũ erit remedium, ſi rigide in duellatores animadvertatur, puta, vel pœnâ capitis, vel infamiâ, exilio, inhabilitate ad munera & bonorum confiſcatione. Quę omnia apud Moſcovitas ſancita fuerunt, ſi quis

Conſtit. Ordin. Holl. 10. Maji. 1641. Zyp. jur. Pontif. not. Analyt. Enarr. tit. de Pugn. in duell.

quis modo aliquem provocaſſet. *Id quod faciendum monuerat Epiſcopus Aturenſis, ut ſcilicet edicta Henrici 4. executioni mandarentur, ne Rex, dum delicto, quos ſtringere debebat, per diſſimulationem & impunitatem habenas laxat, toties cum omnibus peccans, quoties illi duellantes ſe damnant, cumulum peccatorum ſibi coacervet.* Neque tantum in ipſos provocantes, ſed etiam in adjunctos, quos ſecundos, aut tertios appellant, etiam patronos, (quorum erat armorum æqualitatem definire, & proſpicere ne cuiquam fraus fieret) æque atque in duellatores, ultimo ſupplicio animadvertendum erat. Quod etiam factum fuiſſe ex deciſione Rotæ Lucenſis, refert Marta.

Marta dig. jur. noviſſ. Tom. 2. tit. de duell. c. 5. Dict. conſt. Ordin. Holl.

Ut inſtitutum quorundam maxime deteſtandum, quo duellatoribus, homicidis loca tuta aſſignantur, & refugii aſyla

Treutl. vol. 2. diſp 32. Bokel. diſq pubL 2. quæſt. 8.

aſyla aperiuntur, aut gratia delicti conceditur idque ex plenitudine ſupremæ poteſtatis, uti loquuntur. Aut enim homicidium jure factum eſt, id eſt ad defenſionem vitæ, adhibito moderamine inculpatæ tutelæ. Neque à judice condemnari poterit, qui juſtam habuit occidendi cauſam. Neque indulgentiâ quî Principis opus habet, quia omnino non deliquit, qui ſuo jure uſus eſt. In tantum ut etiam ex ſenſu Theologorum, in foro conſcientiæ tutus ſit. Aut homicidium non jure commiſſum eſt, nec unquam abſolvi poterit. Hoc enim foret contra præceptum juſtitiæ, ſecundum illud Phocylidis: Non juſtum eſt tutari virum improbum ne puniatur, ſed decet virum maleficum averſari ſimpliciter. Et certe, quid hoc aliud eſt, quam malitiis hominum indulgere con-

Arreſt. Papon. tit. crim. indulg. 17. libr. 24.
Phocyl. Poem. Admon.
l. 51. §. 2. D. Ad l. Aquil. l. 13. D. de Offic. præſid. l. in fundo. D. Rei Vindic. l. 3. Cod. Epiſc. Aud.

contra expreſſas leges; cun
facinoroſi debeant exſpecta
re quod fecerunt, & debita
perferre pœnas. Ne dican
quod remiſſio illa criminis fo
ret injuria, quæ inferretur in
terfecto, ejuſque conſangui
neis. Adeoque ſi qui deliqui
rit, beneficio Principis abſol
veretur, ea non foret clemen
tia, ſed inclementia, quæ ex
ercetur circa alterius crudeli
tatem & innocentiam occiſi.

Ut Princeps in criminun
talium remiſſione multis nc
minibus delinquat. Et quo
occaſiones malorum in repu
blicâ ſuggerat: facilius enin
duella ſuſcipiuntur, ſi fort
duellantes auctoritate, poten
tiâ amicorum, ac favore apu
Principem ſe tantum effectu
ros confidant, ut impune ſin
evaſuri. Et quod Præceptun
Dei ac naturæ infringat, cu
jus utriuſque hic eſt ſenſus, u
ſan

ſanguis ejus effundatur, qui fudit ſanguinem. Cum tamen Princeps non ſit ſupra leges divinas aut naturæ. Et denique quod diſpenſet ſuper iis, quorum limitatum habet mandatum. Princeps enim ſi homicidam morte puniat, non ſuâ, ſed Dei auctoritate, cujus miniſter eſt, nititur. Et ut ſpernere aut contemnere miniſtro non licet ſuperioris auctoritatem: ita nec licet Principi ſpernere juſſum Dei. Ut culpabilis ſit, qui illi pepercit, quem Deus capitis puniri voluit. Aut ibi diſpenſat, ubi diſpenſationem ſibi ſoli Deus reſervavit, ſupremus legiſlator, & vitæ neciſque in naturâ ſolitarius diſpenſator.

Inſuper, quia cernimus duellatores non ſemper invicem necem intentare, neque eam expoſcere, verum tantum ad vulnera, ad ſanguinem procedere,

dere, majora evitare pericula, non adeo meo judicio frequentia duella forent, ſi ſummo cum diſcrimine pugnare cogantur duellatores, ut ita periculi gravitate à propoſito divellantur. Quo modo ferunt, prudentem quem exercitus imperatorem, quod continuis interpellaretur precibus à duellantium pari, veniam ut eis depugnandi largiretur, erexiſſe loco in aperto patibulum, ac petentibus licentiam congrediendi conceſſiſſe, ea tamen conditione, ut uter eorum foret ſuperſtes interfecto adverſario, etiam eodem illo in loco vitam laqueo finiret. Quod inſtitutum ut intellexiſſent duellantes, timore mortis ignominioſæ, à propoſito ſuo deſtiterunt. Simile quid in Gallia factum recenſetur, ubi Rex Galliæ juſſit aliquando in area minimæ ca-

pa-

pacitatis duellantes digladiare, quam aream milites arcte ſtipati circumdederant, haſtas in aream directas tenentes mucronibus in corpora gladiatorum directis, ut ſi paululum ſecederet alter, ilico in haſtas retrolabi poſſet, quo ſtratagemate perterrefacere voluit eos qui facile ad ſingulare certamẽ provocarent. Quod factum in tantum probandum cenſeo, in quantum non permittendum eos ad arma venire, verum ſolũ impediendi eorum conatus. Aliter foret medium ad evitationem quidem duellorum excogitatum, non tamen in conſcientia licitum, aut permiſſum. Nihil autem mihi magis videretur infringere licentiam illam duellantium, quam ſi quotquot duello provocare alios volunt, veniam tenerentur impetrare, à principe, aut exercitus duce. Qui tum, ſi for-

fortitudinis gratia congredi vellent, eos in periculoſis adverſus hoſtes collocaret locis, ut ita audaciam ac fortitudinem pro patria impenderent, & ibi reapſe oſtenderent provocantes, quā non ſint adverſariis ſuis ſuperiores, ut videri volunt & animo, & fortitudine. Provocati è contrario quam non contemnant mortis periculū, ſi modo illud licite ſubire liceat. Animoſa illa foret contentio, qua inter omnes in perpetuum per gloriam vivere dicerētur. Hujus rei, quia illuſtre exemplum occurrit apud Cæſarem de Bello Gallico, & quidem duorum vindictam utrinque ſpirantium, huc integrum tranſcribendum judicavi. *Erant in legione Cæſaris fortiſſimi viri centuriones, qui jam primis ordinibus appropinquarent, T. Pulfio, & L. Varenus. ii perpetuas controverſias inter ſe habebāt, uter alteri anteferretur omni-*

omnibuſque annis de loco ſummis ſimultatibus contendebant Ex iis Pulſio, quum acerrime ad munitiones pugnaretur, quid dubitas, inquit, Varene? aut quem locum probandi virtuti tuæ expectas? hic dies, hic dies de noſtris controverſiis judicabit. Hæc quum dixiſſet, procedit extra munitiones; &, quæ pars hoſtium confertiſſima viſa eſt, in eam irrumpit. Nec Varenus quidem tum vallo ſeſe continet, ſed omnium veritus exiſtimationem ſubſequitur, mediocri ſpatio relicto. Pulſio pilum in hoſtes mittit, atque unum ex multitudine procurrentem transjicit; quo percuſſo, & exanimato, hunc ſcutis protegunt hoſtes, & in illum univerſi tela conjiciunt; neque dant regrediendi facultatem. Transfigitur ſcutum Pulſioni, & verutum in balteo defigitur. Avertit hic caſus vaginam, & gladium educere conantis dextram moratur manum, impeditumque hoſtes circumſiſtunt. Succurrit inimicus illi Varenus; & la-

laboranti ſubvenit. Ad hunc ſe confeſtim à Pulſione omnis multitudo convertit, illum verutro transfixum arbitrantur. Illic vero occurſat ocius gladio, cominuſque rem gerit Varenus: atque uno interfecto reliquos paulum propellit; dum cupidius inſtat, in locum inferiorem dejectus concidit. Huic rurſus circumvento fert ſubſidium Pulſio atque ambo incolumes, cumpluribus interfectis, ſummâ cum laude ſeſe intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in contentione, & certamen utrumque verſavit, ut alter alteri inimicus auxilio ſalutique eſſet; neque dijudicari poſſet, uter utri virtute anteferendus videretur. Sin vero hiſce mediis jã enumeratis mala, de quibus ſermo, auferri nequeant, acrioribus utetur vir Princeps, & duellantes ablegabit ad Indos, barbaraſque nationes Turcas, Saracenos, ut ibi pro toto orbe Chriſtiano pugnãdo occumbant. Aut deniq; ſevere eoſ-

eoſdem, & quidem gladio regio coercebit, & exterminabit.

PRopter operis affinitatem ſubjunxi tres diſputationes à me publicè habitas. ad l. 2. Cod. de Sicar.

Diſputatio Juridica,

Ad l. 2. Cod. leg Cornel.

DE

SICARIIS,

PRIMA.

Reſp. GUILIELMO SCHUYL à WALHORN.

I.

COnſtitutio Gordiani Imperatoris in *l.* 2. agit in genere de illo, qui ſalutem corporis tuetur; idque adhibito moderamine inculpatæ tutelæ. In ſpecie, & ſecundùm partes, hæc continet ſequentia. Quis ſe licitè tueri

tueri dicatur? Adverſus quem illi legibus ſit conceſſum, ſe tueri? Quo in caſu, id eſt, quâ occaſione, & quibus poſitis circumſtantiis? Et deniq; quid juſtæ defenſionis conſequens?

II.

Antequam ſingulæ legis partes expendantur, natura defenſionis propriæ ſalutis ab origine erit examinanda. Ubi occurrit illa difficultas, cui juri defenſio ſui ſit adſcribenda? An juri naturæ, An verò juri gentium? Reſpondeo, probabilis illa ſententia. quæ juri naturæ eam annumerat. Et quia illud jus defenſionem ſui ſuadet, quod nobis eſt cum brutis commune: quale eſt jus naturale, ut juri gentium contradiſtinguitur. *Init. Inſt. de jur. nat. gent. civil l.* 1. § 11. *D. Si quadrupes pauper. fec. dic.* Et quia paſſim in jure ratio naturalis, ipſa natura, dictare, permit-

tere

tere dicitur, ut quis adverſus omne periculum ſemet tueatur. *l.4. in princ. D. ad l. Aquil. l. 1. §.27. D. vi & de vi armat. Donell. 11. comm. cap. 7.*

III.

Neque hîc diſtinguo inter violentiæ propulſationem, atque adverſus injurias alicui illatas defenſionẽ. Quaſi illa, ut aliqui volunt, juri naturæ, hæc gentium ſit adſcribenda: Illa nobis cum brutis ſit communis, in quæ propriè injuria non cadat. *Init. inſt. Si quadr. paup. fec. dic.* Hæc non item, quod leges ſolis latæ ſint hominibus. *d. Init. Inſt.* Et quia in jure Romano, licet ſignificatu laxiori, jus & injuria ad animantia bruta refertur. *init. Inſt. jur. nat. Gent. civ. l. 5. §. 1. D. Ad leg. Aquil. l. 1. §. 8. & 11. D. Si quadrup. paup. fec. dicat.* Et quia non diſtinguit Juriſconſultus in *l. 3. de juſt. & jur.* inter vim &

P in-

injuriam, propulſationem & defenſionem. Sic ut noſtrum non ſit præter legum auctoritatem, quam novam diſtinctionem fabricare. *Arg. nov.* 18. *c.* 5. *Donell.* 1. *comm. cap.* 7. *Beſold. ad l.* 3. *D. juſt. & jur.* Diſſentit *Bartol. ad l.* 3. *D. jūſt. & jur. Conn.* 1. *comm.* 6. *n.* 8. *Johan. Coraſ. in comment. ad d. l.* 3. *n.* 3. 4. 5. *Lyclam.* 7. *Membr. Ecl.* 42. *Pacius Antinom. cent.* 1. *quæſt.* 1. *Hanon. diſp.* 1. *inſt.* §. 11.

IV.

Neque etiam aliud quid ſtatuendum cenſeo de moderamine inculpatæ tutelæ, ut quę nihil aliud eſt, quam injuriæ atque violentiæ propulſatio non illicita. Licet enim moderationem adhiberi, nobis cum brutis commune non ſit, id tamen juri naturæ, quoad originem acceptum eſt ferendum. Ratio eſt, quia in *d. l.* 3. etiam de inculpatæ tutelæ moderamine

mine agitur; cum quod illicite fit, jure factum cenſeri non poſſit. *l.* 5. *Cod. legib.* Adeo ut incongruenter dictæ legi 3. ſtatuatur, inculpatæ tutelæ moderamen eſſe juris civilis, etiam quoad originem. *Connan.* 1. *comm. jur. civil. c.* 6. *n.* 8. Diſſ. *Berlich. Pract. concl. part.* 4. *concl.* 13. *n.* 2. *Bocerus tract. de duell. c.* 10. *Hanon. diſp. Inſt.* 1. *theſ.* 11.

V.

Non tamen improbabiliter ſtatui poſſet, injuriæ propulſationem non tantum eſſe de jure naturali, ſed & gentium, ſed & civili, licet non origine. Eſt de jure naturali, in quantum origo ejus inſtinctui naturæ, rectæ rationi attribuitur. Et idem quod eſt de jure naturali, in quantum apud omnes gentes peræque cuſtoditur, in quantum in civitatem receptum eſt, juri gentium ac civili congruum eſt. §. 1. 2. *Inſt. jur.*

quivis, tam nutu Dei, quàm omnium conſenſu, juſtitiæ publicæ conſtituitur miniſter. Et quia quæ juris ſunt naturæ cujus declaratio eſt decalogus, non poſſunt non eſſe in foro conſcientiæ licita ac permiſſa. Sic tamen ut advertendum ſit, quo quiſque ſit animo, quo affectu. *Martyr. comm. in Judic. c. 9. idem in loc. comm. claſſ. 2. cap. 9. Danæus Eth. Chriſtian. lib. 2. cap. 13. ad ſext. Præc. Ameſ. caſ. conſc. lib. 5. c. 31. Clarus, §. Homicidium, quæſt. 53. Vaſquez. illuſtr. quæſt. l. 1. c. 18. num. 11. Beſold. ad l 3. D. juſt. & jur. Anton. Matth. diſput. 1. de Judic. n. 31. 32. Bull. diſp. trib. gen. jur. Præcept. n. 12.* Diſſentit *Jaſon ad l. 3. D. juſt. & jur.* ante illum *Phocil. in Poëm. Admonit.* Aliique plures.

VII.

Quod in tantum procedit, ut ſi cùm quiſpiam ſemet adverſus vim atque injuriam

tueri poſſit, id non fecerit, adeoque occidi ſe patiatur, in divinum præceptum, de non occidendo, etiam in leges civiles impingat. Et quia lex ſeu divina, ſeu civilis, non tantum permittit, ut quis ſemet adverſus omnem vim atque injuriam tueatur, ſed etiam jubet *l. 3. D. juſt. & jur.* Et quia omnium hominum eſt obedire legi de non occidendo, nulla adhibita exceptione, ubi lex non excipit *nov.* 18. *c.* 5. Et quia ſi per leges proximum occidere non licet, multo minus ſemetipſum, licebit; ut qui ſibi proximus, ex *d. l.* 3. cum tamen quo caſu non avertit damnum, ſi poſſit, ipſe damni autor ſit dicendus. *l. 50. D. Reg. jur. l. 109. D. eod. l. 4. D. Nox. Action.* Et non avertendo à ſemetipſo malum cum poſſit, pro faciente habeatur, ſaltem interpretative. *Can. non in inferendâ* 23.

23.*qu.* 3. Et quia nulla lex cujuſque corpus, & vitam ſuo ipſius ſubjecit arbitrio, ſic ut quamdiu ſemet tueri poteſt, id ex officio teneatur. *Epheſ.cap.* 5. *verſ.*29. *l.* 13. *D. Ad l. Aquil. Argum.* §. *ult. Inſtit. de his qui ſui vel alieni jur. ſunt. Caſtrens. in l.* 3. *D. juſt. & jur. n.* 9. *Berlich. Concluſ. Pract. part.* 4. *concl.* 12. *n.* 13. *Ameſ. loc. cit. Reuſner. Symbol. Imper.* 51.

VIII.

Quod jus de propriæ ſalutis defenſione in tantum firmum manet, ut nec à Principe, licet abſoluto, alicui auferri poſſit. Et quia contra jus naturale nihil recte diſponit Princeps, ut quod ejus arbitrio ſubditum non eſt. *l.* 3. *D. juſt. & jur. Argum.* §. 2. *verſ. Ergo Senatus Inſtit. Uſufr.* §. *pen. Inſt. jur. nat. Gent. civ.* Et quia non obſtante, Principis diſpoſitione in nullo peccaſſe dicendus, qui ei non

paruit. *l.3.Cod. Ad l.Corn. de Sicar.* Præſertim cùm Princeps ſervari nolit, quod contra juris communis rationem ipſe ſtatuerit. *l.6. Cod. Si contra jus vel util. Publ. Vaſquez. Illuſtr. quæſt. l.1.c.18.in init. Arumæus Diſcurſ. Publ.jur.18. Gilhauſ. Arbor.judic. crim.cap.2.tit.Homic.12.n.13.*

IX.

Defenſionem eſſe de omni jure oſtendi, quantum ſatis eſt. Ad contentum propoſitæ legis progredior, cujus prior pars erat; Quis ſe licitè tueri dicatur? Et cui violentiæ propulſatio ſit permiſſa? Reſpondeo omnibus permiſſa eſt animantibus, ſi abuſivè loquamur. *Arg. l. 1. §. 11. D. Si quadr. Paup. fec. dicat. Init. Inſt. jur. nat. Gent. & civil.* Si propriè, quia jus tantùm cadit in homines, omnibus hominibus indiſtinctè competit: nullo ſtatus aut conditionis habito diſcrimine.

Idque

Idque ſuadet ratio: eſt enim defenſio juris naturæ, quod omnibus hominibus eſt commune: adeoque in quo omnes ſunt pares; ſic ut hominem homini inſidiari propter naturalem cognationem nefas ſit. *Init. Inſt. jur. nat. Gent. Civil. Init. Inſt. de libertin. l. 9. D. de Juſt. & Jur. l. 3. eod.* Etiam id ſuadet generalitas *l. 2. Cod. Ad l. Corn. de Sicar. junctâ l. 3. Cod. eod. l. 3. D. juſt. & jur.* Quæ leges cùm neminem excipiant, neque quempiam excipere nobis licebit. Erubeſcimus enim ſine lege loqui. *Novell.* 18. *cap.* 5. *Gail.* 2. *Obſerv.* 110. *n.* 12.

X.

In ſpecie quæritur an Eccleſiaſticæ perſonæ, moderamen inculpatæ tutelæ rectè adhibeant? Reſpondeo nec illis id denegari poſſe. Homines enim ſunt, communi naturæ neceſſitati obſtricti; ut æquum ſit eoſ-

eoſdem communi naturæ beneficio gaudere. Et quod leges cuivis concedunt, & illis conceſſum cenſebitur, qui ſub legum generalitate comprehenduntur. *d.l.2. Cod.d.l.9. Juſt. & jur. Clem. unic. de Homicid.* Quid quod ipſis Apoſtolis hoc jus non fuerit denegatum, quorum etiam nonnullos gladios ſecum portaſſe, non obſcure ſacris litteris proditum eſt. Quid quod nec Chriſto, homini; per rationem, quod moderata defenſio etiam de jure divino ſit licita, adeoque ſine peccato. *Bajard. in add. in Clar. §. Homicid. n. 76. Gail. loc. citat. n. 12. Beſold. in comm. ad l. 3. D. juſt. & jur.*

XI.

An etiam ſervi? Idem dicendum per generalia verba in *d. l. 2. 3. Cod. Ad l. Corn. de Sicar. junct. l. 3. D. juſt. & jur.* Accedit, quod ſalutis propriæ defenſio ſit

ſit juris naturæ, & quidem ejus, quod nobis eſt cum brutis commune. *l.* 1. §. 11. *D. Si quadr. Pauper. feciſſ. dicatur.* Sic ut ea ſervis, (qui ad minimum in hoc ipſo quadrupedibus erant pares, ſi non præferendi,) non ſit deneganda. *Init. Inſtit. Ad l. Aquil.* Cumque quis ex *l. Corneliâ* tam de occiſo ſervo teneatur, quam de occiſo homine libero; ſequitur quod æqualis à parte ſervi & liberi hominis ſit defenſio, quia eſt æque gravis utrinque offenſio. *l.* 1. *D. Ad leg. Cornel. de Sicar.* Idque de jure civili poſteriori veriſſimum eſt, quo exploſo jure antiquo, & mitigato rigore dominicæ poteſtatis, non amplius dominis permiſſum eſt, impune ultra modum in ſervile caput ſævire. §. *ult. Inſt. qui ſui vel alien jur. ſunt. l. unic. Cod. Emend. Servor. Argum. l.* 1. *Cod. Prec. Imper. offer.*

XII.

An & deportati? Multò magis. Et propter verba *l.* 2. 3. *Cod. de Sicar. l.* 3. *de juſt. & jur.* quæ generaliter in omnes ſunt concepta. Et quia deportati non ea amittunt, quæ ſunt juris gentium, tantum abeſt, ut ea omnia amittant, quæ ſunt juris naturalis, etiam quoad effectum, immutabilis. *l.* 17. *D. de Pœn.* §. 2. *Inſt. capit. deminut.*

XIII.

An idem de Bannitis ſit ſtatuendum, anceps eſt quæſtio? Et licet veriſſimum ſit, de moribus noſtris bannitos, non per omnia comparari poſſe deportatis: quia tamen ſimpliciter banniti ea retinent, quæ ſunt juris naturalis; imò de moribus noſtris exulum loco habentur, ſic ut non magis in illos, quàm de jure Romano in deportatos ſævire liceat, indubitanter aſſererem, defenſionem illis ademp-

emptam non eſſe. *Argum. dd.ll. & l.5.D. Aquil.Ordin.Camer. Jud. Imper. part. 3. tit.43. n.3.* Præſertim cùm impunè offendi nequeant. *Bartol.in l. 3.D juſt. & jur.Clar.5.ſent.§.Homicidium. n.52.*

XIV.

Neque diſtinguendum cenſeo, inter bannitos qui ex cauſâ morte dignâ, & eos, qui ex causâ levi damnati ſunt: quaſi illis adempta ſit ſalutis defenſio, hiſce non item. In nullâ quippe lege hæc fundata eſt diſtinctio; etiam prædictarum legum obſtat univerſalitas. Præterquam quòd offenſa talium non ſit impunita, niſi ſtatutis expreſſè ita ſit cautum. *Menoch. Arbitrar.jud.l. 1.quæſt.89. fere per.totum. Clar. d. §. Homicidium.n.52. Beſold.loc.antea citat.*

XV.

Verùm quid ſtatuendum de talibus Bannitis, qui ob violа-

olatam pacem publicam, & ob atrociſſima crimina ſunt damnati, ſic ut in Imperio, *eorum bona & corpora publice omnibus libere permiſſa ſint, nec quiſquam temere agere & delinquere in eis violandis & prahendendis poſſit. Ordin. cam. Imper. part. 2. tit. 9. §. 3. interpret. D. Juſt. Goblero.* Quales etiam de jure civili erant, transfugæ qui ad hoſtes defecerant. *l. 3. §. ult. D. leg. Corn. de Sicar.* Deſertores militiæ, qui ab obviis quibuſcunque impune occidi poterant. *l. 2. Cod. quand. lic. unicuique Vind. ſe vel. publ. devot.* ? Reſpondeo, licet nonnullis videatur talibus adempta eſſe propriæ ſalutis defenſio, quod aggreſſori cuicunque eoſdem offendendi conceſſa videatur poteſtas; & quidem de jure & auctoritate magiſtratus: religio tamen mihi eſt hac in parte illorum legere veſtigia. Cum enim leges civiles

les permittant cuique ſanguinem ſuum quoquo modo redimere. *l.* 1. *D. de bon. eor. qui l.* 18. *Cod. de Tranſact.* Non videbitur hoc iis eſſe denegatum ut adverſus aggreſſores ſeſe tueantur. *l.* 2. 3. *Cod. leg. Corn. Sicar.* Neque enim poterit jus civile eam defenſionem adimere, niſi ratio naturalis fortior id ſuaſerit, quam omnibus jus naturale conceſſit. *d. l.* 3. *D. juſt. & jur.* Quod in tantum procedere tradit Arumæus, ut ne quidem ea defenſio (hyperbolica eſt locutio) diabolo ſit deneganda. *Johann. de Arnono in Pract. Crim. citat. ab Arumæo diſcurſ. Acad. de Jur. Publ.* 5. *Bull. diſp. de trib. gen. Jur. Præcept. n.* 10. Immo nec id fecit jus civile, cum non tam juſſerit adhibita ſanctione, ut ab omnibus quibuſcunque devota capita occidantur, quam quidem diſpoſuerit atque diſpenſaverit, ut occidantur impune.

pune. *Anton. Matth. tract. de Crimin. tit. 5. libr. 48. P. c. 2. 16.*

XVI.

Multò minùs occiſorem in foro poli, id eſt conſcientiæ ſecurum faciet ſtatutum, quo diſponitur, ut bannitus impunè offendi atque occidi poſſit, licet eum à pœnâ legis ſuper homicidio dictâ in foro ſoli immunem declaret. Neque enim ex vi ſtatuti in foro conſcientiæ quis redditur tranquillus, cum ſtatutum à Magiſtratu Politico latum homini externo, non conſcientiæ ſit latum. Neque enim conſcientiis informandis datus eſt, neque caſubus conſcientiæ decidendis præpoſitus. Ubi enim agitur de peccato evitando non ad ſtatuta, aut leges civiles, verùm aliò recurrendum eſt. Sic ſtatuente Imperatore Juſtiniano in *Novell. 137. in Init.* & *Oldendorpio explicante in Claſſ. in Init.*

Init. de jur. ordin. Quid enim ſi ſtatutum ita diſponeret, caſu quo bannitus quis eſt ex cauſâ pecuniariâ? Foret id iniquum. *Clar.* §. *Homicidium. n.* 52.53.54. *Cevall.comm.contr comm qu.*554. *Danæus Ethic.Chriſt.l.2 c.*13.Diſſ. *Bartolus in d.l.*3.*juſt.& jur. aliique ibidem citati. Beſold.ad d.l.*3. *D.* ex parte etiam prædicti autores.

Diſputatio Juridica,

Ad l.2.Cod.leg.Cornel.

DE

SICARIIS,

SECUNDA.

Reſp. JOHANNE à BLOTENBURCH. Buſco-ducenſi.

I.

ALtera pars legis propoſitæ erat adverſus quem, cuique ſit conceſſa, ſui defenſio? Et dicendum

Digitized by Google

dum eam eſſe conceſſam adverſus quemcunque. Eſt enim permiſſa adverſus vim atque injuriam: ſicut vel vim vel injuriam realem adeſſe ſuffecerit. Eamque de facto inferri, licet à parte inferentis injuriandi deſit animus. Neque enim tam ſeſe fundat jus naturale in injuriâ, prout eſt contumelia, quam quidem in damno, quod arcet, qui ſe tuetur. Ex eo quod naturalis ratio adverſus periculum permittat ſe defendere. *l.* 3. *D. de Iuſtit. & Jur. l.* 4. *in init. D ad l. Aquil. l.* 1. §. 27. *D. de vi & de vi armat. l.* 1. *Cod. Unde vi, l.* 2. *Cod. ad l. Cornel. de Sicar.*

II.

An igitur reo juſte condemnato licebit ſe tueri adverſus carnificem, lictorem, alioſque juſtitiæ miniſtros? Non equidem. Tenetur enim ad pœnam juſtam, non tamen ad eandem

ſibi-

ſibimet accerſendam, aut procurandam. Neque enim hîc ratio naturalis de ſui tuitione activâ locum habet, quod mutentur circumſtantiæ. Neque enim injuriam ullam patitur, qui pro meritis patitur. Ut ceſſet juſta defenſio, quando jus naturale quempiam in aliquem armat: quod facit, ſi adſit reus. Præterquam quod Reipublicæ interſit, quæ ratio eſt fortior, ut pœnam ſuo peccato dignam ſubeat. Sic ut quemadmodum quivis tenetur, reipublicæ bono ſuam poſtponere ſalutem, ita etiam delinquens ſuo cum damno pœnam ſuſtinere, quam publica vindicta, adeoque publicum repoſcit bonum. *Argum. l. 2 l. 3. D. de Juſt. & Jur. Ameſ. Caſib. conſcient. lib. 5. c. 54. n. 47.*

III.

An adverſus vim à ſe procuratam? Quod negandum.

Ne-

Neque enim ratio naturalis permittit, ut eum licitè occidat, cujus vim ſuo merito provocavit. Violentiam ab alio ſibi illatam propelli jubet ratio naturalis, non à ſe provocatam. *Argum. l.* 3. *de juſt. & jur. & l.* 1. *§.* 11. *D. Si quadrup. paup. feciſſe dicat.*

IV.

An adverſus furioſos, innocentes, vel mente captos, impuberes, noctambulones, modò nocere poſſint, quis ſemet rectè tuebitur? Quidni. Eſt enim *d. l.* 2. *Cod.* generalis, & reſpicit aggreſſorem, ut & alium quemcunque, à quo damnũ corpori noſtro infertur. Etiam, quæ ratio *in l.* 4. *D. de juſtitiâ & jur.* continetur, generalis eſt & indefinita; ſic ut ſecundum Decium, vel adverſus bruta militare videatur: eò quòd ex æquo lædere poſſint. *Argum. l.* 1. §. 11. *D. Si quadrup. paup.*

paup.ſec. dicat. l.5.§.2. D. Ad l. Aquil. Bartol.in d.l.3.n.5. Bald.in repet. leg. 1. Cod. Unde *vi. Bocer. tract.de duell cap.* 10.

V.

An ſervo permiſſa ſui defenſio adverſus dominum? Reſp. Licet antiquo jure civium Romanorum dominis in ſervos fuerit conceſſum jus vitæ neciſque. Neque tamen id ipſum ſuaſerat inter homines naturalis ratio. Et conſervatio ſui ſit juris naturæ; etiam quod nobis cum brutis eſt commune. Sic ut ad minimum ſervos eo jure gaudere oporteat, quo bruta. Defenſionem etiam adverſus dominum ſervo permiſſam eſſe, dubitandum non eſt. *Arg.§ ult.inſtit. qui ſui vel alien. jur. ſunt. l.1. Cod. Prec. Imper. Offer. l. unic. Cod. de Emend. ſervor. l.2.3. Cod. l. Cornel. de Sicar.*

VI.

VI.

An filio adverſus Patrem perduellem, hoſtem Patriæ, injuſtum ac violentum aggreſſorem? Reſp. Aut quæritur quid quiſpiam affectus intuitu malit, an pati ut ipſe occidatur à Patre, an potius ſuum Patrem occidere? Aut quid de rigore juris ſit permiſſum, & de jure civili ſit comprobatum? Si prius, potius malim quævis ſufferre patienter, quam vitam Patri adimere, utpotè à quo vitam & omnia poſt Deum, accepi. *Arg. l. 13. §. 4. D. Re milit. l. 9. D. de obſeq. Parent. & Patr. Præſtand. l. 1. §. 28. D. Ad Silanian.*

VII.

Si poſterius quæratur? Reſpondeo ante omnia exorandi & placandi remedia eſſe adhibenda. Quibus ſi non auſcultet pater, de jure in Patriam amor amori parentis erit præferendus. *l. 3. §. fin. D. Ad l. Cornel.*

nel.de Sicar.l.35.D. de Religioſ.& Sumpt. fun. Bartol.in l.ſi adulterium.D. Adulter. l. 1.in princ.D. Ad Trebell. Senat. Berlich 4. part. qu. Pract.concl.12.n.16. Gloſſ.in l.7. Cod.de procur. Gothefr.ad d.l. 1.& ad nov. 12. cap. 2. Author inſignis Arcadiæ Batavicæ, in comm. pag. mihi 888. Diſſ. *Clar. 5. ſent. §. Homicidium.n.29. Menoch.2. Arbitr.judic.lib.2.cent.4.caſ.356.n. 33.34.35.Tholoſ.l.36 Synt.c.24. n.16. Gilhauſ. Arb crim. c.2. tit. 12. n. 43. Bull. de tribus General. jur. Præcept.n.15.*

VIII.

An ſubdito adverſus Magiſtratum, ſi quando contra leges, aut bonos mores, adeoque non ut Magiſtratus, ſed ut privatus officii prætextu, alicui vim inferre conatur? Reſpondeo, ſi alii ſint Magiſtratus ad quos confugere poſſit, & provocare, non ſibi aſſumet, quod tantum eſt Magiſtratus. Quod

ſi alii

ſi alii non ſint, & injuria ſit irreparabilis, id certè licebit. Neque hîc quicquam differendum: ne poſt vulneratam cauſam remedium fruſtrà quęratur. *l.* 3. §. *cum igitur D. de vi & vi armat. l.* 29. §. 7. *D. Aquil. l.* 1. *Cod. quand. lic. unic. ſin. jud. l. ult. Cod. de ſport. & ſumpt. l.* 5. *Cod. de jure fiſc. lib.* 10. *Caſtrenſ. in l.* 3. *D. de juſt. & jur. n.* 6. *Vaſq.* 1. *Illuſtr. contr. cap.* 18. *n.* 8. *Clar.* 5. *ſent.* §. *Homicidium. n.* 30. *Boër. deciſ.* 170. *n.* 1. *Covarr.* 1. *Var. Reſol. cap.* 2. *n.* 12. *Ameſ. caſub. conſc. l.* 5 *c.* 54. *in fin.*

IX.

Quod etiam ad Seniorem, etiam ad ſummum Principem eſt extendendum. Neque enim perſonæ dignitas aut ſtatus jus naturale immutat: neque Princeps ſupra leges eſt, ſaltem naturales, fatentibus omnibus. *Arg. dd. leg. Berlich. d. Concl.* 12. *n.* 19. 29. 30. Diſſ. *Clar.* §. *Homicidium.*

dium. num. 33. *Schrader. de feud. Part.* 9. *cap.* 4. *n.* 61. *Beſold. ad l.* 3. *D. juſt. & jur. n.* 10.

X.

Unde multo magis apparitori impunè reſiſti poteſt, ſi nullo ſuperioris mandato intercedente, quem prehendere, vel quid executioni mandare velit. *l.* 5. *Cod. de Sport. & ſumpt. Faber in Cod. defin.* 1. *tit. Quando lic. unic. ſin. jud. Amaya ad l.* 5. *Cod. de jur. fiſc. num.* 10. Diſſ. *Pinzing. quæſt. Saxon* 54. *vid. Menoch. ibidemque varios allegatos de Recup. Poſſeſſ. remed.* 1. *num.* 311.

XI.

Verùm, quod tertium erat l. propoſitæ contentum, quæſ. quibus poſitis circumſtantiis ea permiſſa defenſio? Reſp. Si adſit moderamen: quod ſecundùm DD. in tribus conſiſtit. Modo, tempore & causâ. Modo, ſi neceſſaria defenſio, ſi

præſens periculum. Tempore, ſi in rixâ, ſi in continenti adhibeatur. Causâ, ſi ad defenſionem, non ad vindictam. *Bronchorſt cent. 2. Miſc contr. aſſ. 51. Gilhauſ Arbor. crim cap. 2. tit. 12. Martin. Uran. conſ. Tom. 2. conſ. 26. num. 3. Metzgerus conſil. crim. 8. Parkius caſ. conſc. libr. 3. c. 3 caſ. 4. & libr. 4 cap. 1. caſ circa corpus hominis Bull. diſp. 1. de Tribus gener. jur Præcept.*

XII.

Unde ratione *modi* quæſitum. An ſit moderata defenſio, ſi quis aliquem inæqualibus armis aggrediatur, puta, ſi quem cinctum gladio aggrediatur ſclopo munitus? Aff. Commentum enim id DD. eſt, qui æqualia utrinque arma deſiderant. Si tamen quis periculum evadere nequeat. §. 2. *Inſt. Ad l. Aquil. Arg l. 3. D. de juſt. & jur. l. 4. D. Ad l. Aquil. l. 2. Cod. l. Cornel. de Sicar. l. 1. Cod. Quand. lic.*

lic. unicuique ſin. judic. Dambaud. praxi crim. cap. 76. Berlich. concluſ. Practical. part. 4. concluſ. 13. n. 53. Beſold. add. l. 3. de juſt. & jur. n. 22. ibidemque varii allegati.

XIII.

An ſi quis aliquem pugno aggrediatur gladio munitum? Idem dicendum. Poterit enim debilis & infirmus, licet armatus, ab inermi robuſto, & quidem pugno occidi. Quod de Peruſino quo refertur, qui pugno vel bovem occidere poterat. Accedit, quod *l. 2. 3. Cod. l. Corn. de Sicar.* indiſtinctè loquantur de aggreſſore. Tamque qui pugno, quàm qui telo quem aggreditur, eſt aggreſſor dicendus. Ut ubi lex non diſtinguit, nec noſtrum ſit diſtinguere. *Argum. §. 2. Inſtit. Ad l. Aquil. l. 8. §. pen. D. Quod met. cauſ. Babtiſt. Bajard in comm. ad Clar. §. 5. litt. l. Berlich. part. 4. concl. 13. n. 60.*

XIV.

An ſi quis tantùm minetur, non autem damnum inferat? Reſp. Idem dicendum. Quia potentia actui proxima cenſetur ipſe actus. *Argum. l.* 1. §. *ſi juſſerim. D. Acquir. Poſſ. l.* 2. 3. 4. *Cod. Ad l. Cornel de Sicar. l. ult. Cod. In quibus cauſ. in integr. reſtit. Nec.* Et certè melius eſt naſcenti malo occurrere, quàm poſt exitum fruſtrà medicinam quærere. *l.* 1. *Cod. Quand. liceat unic. ſine jud. Bartol. in l.* 3. *D. Juſt. & jur. Boër. deciſ.* 168. *n.* 9. *Gilhauſ. arbor. Crimin. cap.* 2. *tit.* 12. *n.* 24. *Speckhan. contr. jur. cent.* 3. *claſſ.* 2. *quæſt.* 8.

XV.

Neque diſtinguo, uti DD. volunt, an ſolitus quis ſit exequi minas, an non. Neque enim quiſpiam ſe periculo tenetur objicere. Hic enim periculum ſubeſt, juſtus eſt metus: cùm qui non ſolitus exequi

minas, id fortè jam velit. Ut ſufficiat, quòd ſi voluiſſet, minas exequi potuiſſet. *Arg. l. 6. D. Quod met. cauſ. l. 3. in Princ. D. quod quiſque jur. in alter ſtat. l. labeo. D. de ſtatu lib. Cravett. conſil. 432. n. 14. Beſold. ad l. 3. D. Juſt. & jur. n. 21.* Diſſ. *Gilbauſ. Arbor. crim. loc cit. n. 32.*

XVI.

An non igitur aggreſſus potiùs quàm ut ſe tueatur, fugere tenebitur? Neque hoc dicendum. Non quòd fugere ſit probroſum, uti id ipſum perperam cenſet *Bronchorſt. cent. 2. Miſcell. contr. aßert. 51.* verùm quòd fuga cum periculo ſit conjuncta, propter lapſum, qui fugienti accidere poteſt. Quid enim ſi tardè fugienti inſiſtat à tergo pedibus celer Achilles? An non in majus ſe conjicit periculum fugiens, quàm ſi reſtitiſſet? *l. 45. §. 4. D. ad l. Aquil. l. 2. 3. Cod. l. Corn. de Sicar. Jaſon. in l. 3. D.*

de juſt. & jur. Alex conſil. 109. *libr.* 1. *& conſil.* 119. *libr.* 7. *n.* 15. *Wiſſenb. diſput.* 3. *Pand. num.* 13. Si tamen commodè & citra periculum quis fugere poſſit, etiam fugere tenebitur. *Gilhauſ. Arbor. crim. cap.* 2. *tit. n.* 26. Quò etiam facere videtur *conſtit. Carol. crim. art.* 140. Uti id vult *Gilhauſ. loc. cit. vid. tamen Speckhan. cent.* 3. *claſſ.* 2. *quæſt.* 7.

XVII.

Neque hîc diſtinguo inter nobilem & ignobilem; quaſi illi ſemper & in omni occaſione fuga ſit ignominioſa, huic non item. Textus enim generaliter & indiſtinctè loquuntur. §. 2. *Inſt. ad l. Aquil. l.* 4. *l.* 45. §. 4. *D. eod.* Cumque defenſio ſit juris naturæ, quod inter nobiles & ignobiles diſcrimen non ponit, omnium par erit ratio. *Init. Inſtit. de libert. l.* 3. *D. Juſt. & Jur. l.* 2. *&* 3. *Cod. Ad*

l Corn.

l. Corn. de Sicar. Cravett. conſil. 432. n. 16. Speckhan. quæſt. jur. cent. 3. claſſ. 2. quæſt. 7. Diſſ. *Bartol. in l. 3. D. de Juſt. & jur. Boër. deciſ. 168. n. 5. Dambaud. in Prax. Crim. cap. 76. num. 9. Bapt. Baiard. in Clar. §. 5. litt. k. Vaſq. Illuſtr. quæſt. 1. quæſt. 11. num. 14. 15. Cevall. comm. contra comm. quæſt. 551. Gilhauſ. Arbor. crim. loc cit. num. 26. Berlich. part. 4. concluſ. 13. num. 34.* Et ex parte *Conſuet. Regni Hungar. & Tranſylvan. part. 3. tit. 21.* vid. etiam *tit. 23. & ſeq.*

XVIII.

Hæc de modo; ratione temporis ut moderata ſit defenſio, requiritur ut ea fiat confeſtim, non ex intervallo. Neque enim aliter defenſio eſſe videbitur, quàm quidem de novo inchoata offenſio. *l. 3. §. 9. verſ. ſed non D. de vi & vi armat. l. 17. D. eod. l. 7. § . 4. verſ. Si cedentem, D. ad l. Aquil. Dambaud. Prax. crim. cap. 76. n. 10.*

XIX.

Quod ita tamen accipiendum, ſi non ad alios actus divertat aggreſſor, deſerturus aggreſſum, verùm inſtet & urgeat, adeoque flagrans ſit maleficium. Quod tamen etiam poſt aliquas horas eſt extendendum, modò aliqua ſit actuum inter ſeſe continuatio. *l.* 23. §. 4. *D. Ad l. Jul. de Adulter. Damboud. loc. cit. Cujac.* 5. *obſerv.* 18. *Gail.* 1. *de P. Publ. cap.* 16. *num.* 17.

XX.

Unde ſi ab invicem partes contendentes ſint ſeparatæ, quod poſt ſeparationem commiſſum eſt, ad moderamen inculpatæ tutelæ referri non debebit. *Boër. de. iſ.* 168. *num.* 6. *in fin.* Niſi tamen talis occurrat caſus, ut qui vulneratus erat, per aliquot horas deliquium animi paſſus, ad ſe revertatur, & vulnerantem gladio ſtricto in eo-

dem

dem loco adhuc repertum occidat. Metus ibi quippe periculi, atque mortis, qui in conſtantem virum caderet. *Arg. l. 8. §. pen. D. quod met. cauſ. l. 28. Cod. de Teſtam. l. unic. Cod. quand. lic. unicuique. Boër. deciſ.* 168. *num.* 7.

Diſputatio Juridica,

Ad l. 1. Cod. leg. Cornel.

DE

SICARIIS,

TERTIA.

Reſp. Jacobo Chatvelt, Heuſdano.

I.

QUod ſi dicatur defenſio facta in continenti, probanda per eum, qui id aſſerit. *l.* 2. *D de Probat. l.* 23. *Cod. eod.* In dubio tamen, in continenti facta præſumetur eſſe defenſio.

Argum. l. 3. *D. de Juſt. & Jur. & l.* 3. *Cod. eod.* Sic ut in adverſarium, eam non eſſe factam in continenti, ſit conferenda probatio. *Berlich. part.* 4. *concl.* 13. *n.* 52. Ita vim adhibitam eſſe pro defenſione probari ab occidente oportet. *Arg. dd. ll. & l.* 1. *Cod. l. Cornel. de Sicar. Arg. l.* 5. *Cod. de Injur. Metzger. Conſil. crim.* 8. *num.* 10. *Berlich. art.* 4. *concluſ.* 14. *n.* 1. *ibidemque autores citati. wiſſenb. diſp.* 3. *Pand. num.* 10. In dubio tamen præſumendum eam ad defenſionem eſſe factam, ut ſaltem ordinariæ legis Corneliæ pœnæ locus eſſe non debeat. In pœnalibus enim mitior eſt facienda interpretatio, præſertim ſi probabiles quædam conjecturæ militent pro reo. *l.* 5. *l.* 42. *D. de Pœn. Martin. Uran. Tom.* 2. *Conſil.* 26. *num.* 5. Idque conforme eſſe conſtitutioni criminali Carolinæ innuit *Gilhauſ.*

cap.

cap. 2. *Arbor. crimin. tit. de Homicid. n.* 34.

II.

Dixi, in cauſâ moderaminis ſpectari hoc ipſum ut adhibeatur ad neceſſariam defenſionem, non ad vindictam. *Argum. l.* 3. *Cod. l. Cornel. de Sicar. l.* 4. *l.* 45. §. 4. *D. Ad l. Aquil. l.* 14. *Cod. de Jud. & Cælicol.* Unde quæſitum, an ad defenſionem filii patri liceat aggreſſorem occidere? Affirm. Uti enim cura educationis ita & defenſio patri incumbit. Et per filium ipſe pater magis peti videtur, quàm filius. *Arg. init. Inſtit. de jur. nat. Gent. & civ. &* §. 7. *Inſtit. de Noxal. Action. l.* 8. §. *ult. D. Quod met. cauſ. Beſold. ad l.* 3. *D. de Juſt. & Jur. n.* 15. Diſſ. *Bullæus diſp. de tribus gener. Jur. Prac. n.* 19.

III.

Ampliùs, an ad defenſionem ejus, qui nobis eſt ſangui-

ne junctus? *Affirm. Arg. l.* 50. *D. de Reg. jur. l.* 109. *D. eod. Jaſon. ad l.* 1. *n.* 3. 4. 5. *Cod. Indict. viduit. &c. toll. Alexand Conſil.* 119. *l.* 7. *n.* 6. *&* 10. *Petrus Pappus comm. in* 3. *artic. Milit. noſtr. Provinciarum. Wiſſenb. diſp.* 3. *Pand. num.* 16. Diſſ. *Vaud. Var. quæſt. l.* 2. *quæſt.* 29. *Bullæus loc. cit.*

IV.

An igitur indiſtinctè ad cujuſvis hominis in vitæ periculo conſtituti defenſionem aggreſſorem licebit occidere? Affirm. Natura enim inter omnes homines aliquam conſtituit cognationem. *l.* 3. *de juſt. & jur. l.* 37. 50. 109. *D. de Reg. jur.* Accedit, quod naturaliter homo homini debeat officium. *l. ſervus ea. D. ſerv. Export. l. non tantum. D. Appellat. l.* 2. *§. fin. D. quand. Appell. Dyn. ſuper regulâ. Non eſt ſine culpâ. de Reg. jur. in ſext. can. non inferenda* 23. *quæſt.* 3.

V. Nec

V.

Nec diſſonum eſt jus divinum, quod exigit, ut pro fratribus vitam exponamus. Utque proximum, ſicut noſmet ipſos diligamus. *Deut.* 6. *v.* 5. *Matth.* 22. *v.* 37. *Marc.* 10. *v.* 31. *Luc.* 10. *v.* 27. *Ordin. crim. Carol.* 5. *art.* 142. & 150. *Gomeſ. tom.* 3. *Var. reſol. c.* 2. *Gail.* 2. *obſ.* 110. *n.* 19. *Bocer. tract. de Duell. Speckhan quæſt. jur. cent.* 3. *claſſ.* 2. *quæſt.* 9. Diſſentiunt, *Bartol. Jaſon. in l.* 3. *D. de juſt. & jur. Vaud. & Bull. locis citatis.*

VI.

Non tamen præciſe quiſpiam ad hoc obſtringitur, ſi id ſine propriæ vitæ diſpendio fieri non poſſit. *Arg. l.* 50. *D. de Reg. jur. l.* 125. *in fin. D. de Verbor. ſignif.* In pari quippe cauſâ, amor noſtri ipſius, amori proximi eſt præferendus. *l.* 7. §. *Quid ſi autem latitare. D. quibus ex cauſ. in poſſ. eat. l.* 6. §. *ult. D. de Re militit.*

lit. Arg. l. 6. Cod. de ſervit. D D. *ad l. culpâ caret. D. de Reg. jur. Bocer. c. 3. de quæſt. & Tortur. num. 75.*

VII.

Verùm anne etiam licebit ad defenſionem Pudicitiæ quempiam occidere? *Affirm. l. 8. §. pen. D. quod met. cauſ. l. 1. §. pen. D. Ad l. Corn. de Sicar. l. 20. cum ſeq. D. Ad l. Jul. de Adult. l. unic. v. nec igitur. Cod. de Rapt. Virg. Berlich d. Concluſ. 12. n. 40. Treutl. volum. 1. diſp. 1. theſ. 4. litt. c. Vaſq. 1. Illuſtr. quæſt. 11. n. 20. Gilhauſ. arbor. crim. c. 2. tit. 12. n. 36. Ameſ. caſ. conſcient. l. 5. c. 31. quæſt. 4.* Diſſent. *Bacchov. ad diſp. 1. in Treutl. & ego ipſe diſſenſi in meo tract. de Duellis.*

VIII.

An itidem ad defenſionem bonorum id licebit? *Neg. Arg. l. 3. D. de juſt. & jur. l. 9. D. Ad l. Corn. de Sicar. l. 2. 3. 4. Cod. eod.*

in

in quibus legibus de ſalutis tuitione tantùm eſt ſermo. Et textus ſunt expreſſi. *l.* 4. 5. *D. ad leg. Aquil. l.* 7. *§. ult. D. quod met. cauſ. l.* 56. *D. de furt.* Ubi furem diurnum non aliter occidere licet, quàm ſi telo ſe defendat. Et ratio in promptu eſt. Hominum enim gratiâ natura omnia comparavit. Ut vita eorum omnibus bonis, rebus pretioſiſſimis, imò univerſo mundo ſit præferenda. Ut non videatur bonorum gratiâ vita alicui eſſe auferenda. *§. 12. Inſtit. jur. nat. Gent. & civil. l. 2. D. de ſtat. Hom. l. 44. in princ. D. de Ædilit. Edict. l. 21. in fin. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Merend. 5. contr. c.* 20. *Grot. de jur. Bell. & Pac. c. 1. n. 11. Fachin. 1. controv. jur. 31. Treutl. volum. 1. diſp. 1. theſ. 4. litt. c. Bullæus de tribus Gener. præc. n. 25. Gilhauſ loc. cit. n. 40. Pappus. comm. in art. 3. Milit.* Diſſ. *ex parte Clarus 5. ſent. §. Homicid. n. 25.*

n. 25. *Qui tamen* §. 47. *ſeipſum corrigere videtur. Vaſq. Illuſtr. quæſt. l.* 1. *c.* 18. *n.* 5. *Anton. Matth. tract. de Judic. diſp.* 1. *n.* 32. *Leſſ. l.* 2. *de juſt. & jur. c.* 9. *dub.* 11.

IX.

An ad tuitionem læſi honoris id licebit. Minimè. *Arg. l.* 3. *D. de juſt. & jur. l.* 2. 3. *Cod. Ad l. Corn. de Sicar.* Quæ leges non de honoris, ſed vitæ defenſione loquuntur. Et illius recuperandi gratiâ actionibus experiri datum eſt; non itidem hujus. Et ibi damnum eſt reparabile, hic non item. *l.* 25. *D. de Procur. junct. l.* 35. *D. de Reg. jur. Boër. deciſ.* 169. *per totum. Berlich. part.* 4. *concl.* 12. *n.* 41. *Beſold. ad l.* 3. *D. de juſt. & jur. n.* 12. *Bocer. tract. de bell. & duell. l.* 2. *c.* 8. *Bronchorſt.* 4. *Enantioph.* 82. Diſſent. *Clarus* 5. *ſent.* §. *Homicid. n.* 26. *Vaſq. Illuſtr. quæſt. l.* 1. *c.* 18. *n.* 13. *Vivius deciſ. l.* 2. *dec.* 399. *Petr. Papp. comm. in* 3. *art. milit.*

X. An

X.

An non ſaltem occidere licebit in caſu, quo quis fuerit ab alio provocatus? Non equidem. Neque enim id ipſum fieret ad defenſionem, verùm ad vindictam *Arg. l.* 45. D. *Ad l. Aquil. l.* 2. 3. *Cod. l. Corn. de Sicar. Vaſq. Illuſtr. quæſt. l.* 1. *c.* 18. *n.* 15. *Bocer. l.* 2. *de Bell. duell. n.* 17. Accedit, quòd hâc ratione, quivis ſibiipſi jus diceret; adeoque ſibi aſſumeret, id quod ſpectat officium Magiſtratus: contra *l. unic. Cod. Ne quis in ſuâ cauſâ. judic. l. ult. Cod. de Vi Privat. l.* 14. *Cod. de Judæis & cœlic. l.* 176. *D de Reg. jur.*

XI.

Verùm an non cenſebitur provocatus infamiam aliquam incurrere, ſi non comparuerit, præſertim ſi nobilis fuerit, aut miles? Minimè gentium. Qui enim legis dicto eſt obediens, nec juris, nec facti infamiâ notatur.

ratur. *l.* 176. *D. de Reg. jur.* Et licet conſuetudo in contrarium ullibi obtineret, illa certè non eſſet appellanda conſuetudo, quia irrationabilis, quia peccati nutritiva adeoque non ſervanda. *l.* 39. *D. de leg.* Nam ſi tale quid, propter pravam admiſerimus conſuetudinem, *& fur, & adulter, & quantumvis malus alius ad conſuetudinem provocabit. Chryſoſt. in Geneſ. Homil.* 56. *Speckhan. cent.* 3. *Claſſ.* 2. *quæſt.* 6.

XII.

Sed ampliùs quæſitum, quod ſpectat juſtæ defenſionis ſequelam, ultimam legis noſtræ partem, anne à Principe aut ſtatuto pœna in eum decerni poſſit, qui moderamine uſus inculpatæ tutelæ, quempiam aut vulneravit aut occidit? Neg. In nullo enim peccaſſe dicendus, qui ſecutus naturę legem immutabilem, ei non paruit, qui eſt infrà legem naturæ, *l.* 3. *D. Juſt.*

D. Juſt. & jur. Neque enim qui ſupremâ in terris gaudet poteſtate, quicquam adverſus jus naturale poteſt, aut tollere ea quæ naturalis inducit neceſſitas. *Arg. §. 2. v. ergo Senatus. Inſt. de Uſufr. Vaſq. Illuſtr. quæſt. l. 1. c.* 18. *in init. Arum. diſc. public. jur.* 18.

XIII.

Ut improbandum ſit hâc in parte jus Saxonicum, quo etjam qui moderamen adhibuit, in 60. Solidos, & Werigeldum, uti id appellant, interfecti cognatis præſtandum, condemnatur. *Zobel. differ. jur. & Saxon. part. 4. diſſ. 29. Benedict. Reinch. in addit. ſent. Scab. L pſenſ.* 146. *ibid. Berlich. part. 4. concl.* 12. *n.* 4.

In nullo enim peccaſſe videri poteſt, qui quod omnes ſuadent leges, non omiſit. *l.* 3. *D. Juſt. & jur. l. 1. Cod. Unde vi.* Ut cum nullum hîc ſit deli-

ctum, nec debeat eſſe pœnæ locus. *l. Sancimus. Cod. de Pœn.* Adeoque propter hoc factum, nemo calumniam metuere debeat. *l. 2. Cod. Ad l. Corn. de Sicar.* Et ſi quis fortè actionem in quempiam pœnæ nomine intentet, ea exceptione juſti homicidii elidi poſſet. *Gothefr. in not. ad d. l. 2. Cod & DD. ibidem citati.* Quid quòd ille, qui in ludis licitis virtutis aut exercitii militaris causâ inſtitutis aliquem occidit, nec civili, nec criminali judicio conveniri poſſit. *l. 7. §. 4. D. Ad l. Aquil. Cujac. 20. obſ. 21. Schrader. de Feud. part. 9. c. 4. n. 37. ſub fin. Moller. ad conſt. Saxon. part. 4. conſt. 10. n. 6. Beſold. delib. jur. tit. P. Ad l. Aquil. n. 2. p. 571.*

XIV.

Non tamen improbandi videntur noſtratium mores, ſecundum quos, an quia ita fieri oportet, an quia id remedium

tutius

tutius eſt, etiam qui legitimæ defenſionis modum non exceſſit, veniam ſeu remiſſionem, (vel potiùs innocentiæ litteras) commiſſæ cædis à Principe impetrat. *Chriſtin. vol.* 4. *deciſ.* 198. Quas ſi quis petat, etjam eas de rigore juſtitiæ Princeps concedere tenetur, *Faber in Cod. ad l. Corn. de Sicar. l.* 9. *tit.* 10. *def* 5. In hoc tamen mores cum jure Saxonico conveniunt, quòd licet per teſtes occiſor probaverit, ſe egreſſum non eſſe inculpatæ tutelæ moderamen, nihilominùs in mulctam fiſco inferendam, & inſuper in expenſas & intereſſe amicorum occiſi condemnetur. Cùm æquius eſſet, eum non ſolùm à capitali pœnâ, ſed & à pecuniariâ, quæ amicis, ſed & ab eâ quæ Principi debetur, abſolvi debere. *Faber in Cod. ad l. Corn. de Sicar. loc. alleg.*

XV.

An verò conſuetudo iſta probanda; quâ remiſſionis litteras non impetrat, aut ſaltem rariſſimè, niſi priùs cum amicis occiſi tranſegerit, & quidem demùm poſt annum ab homicidio commiſſo elapſum, inquiri non immeritò poſſet? Id quidem præciſè ſervatur in Brabantiâ, ubi Princeps non largitur remiſſionem, niſi cum parte læſâ tranſegerit homicida, & ſe tranſegiſſe, docuerit. Idque congruum eſt, *Edict Car. 5. de ann.* 1541. *art.* 12. *& ſeq. & de ann,* 1546. *art.* 1: *cit. apud Vivien art.* 21. *Comm. læt. Introit. Phil* 2. *Hiſp. Regis. Zyp. jur. Pontif. Nov. Analypt. Enarr, l.* 5 *tit. de Homicid.* Etiam in noſtris Provinciis communiter ſervatur, ut priùs ſatisfecerit, quorum intereſt, antequam quod petit, impetret. Et in tantum non immeritò hæc ſervatur con-

conſuetudo, in quantum vix unquam aut perrarò, talis incidit caſus, ut non aliquâ in parte occiſor moderamen exceſſiſſe deprehendatur. *teſt. Chriſt. in deciſ. all.* Si tamen manifeſtiſſimis probationibus occiſor docere ſit paratus, ſe moderamen inculpatæ tutelæ ſervaſſe, cur expectari debeat amicorum occiſi conſenſus, nullus video. Ut qui juri publico ſuâ pertinaciâ, adeoq; Innocentiæ cauſæ præjudicium facere nec poſſint, nec debeant. Cum defenſor propriæ ſalutis in nullo peccaſſe ſit dicendus. *l.* 45. §. 4. *D. Ad l. Aquil. l.* 131. *D. de Verb. ſignif. l.* 3. *Cod. Ad l. Corn. de Sicar.*

XVI.

An non tamen in expenſas in occiſum factas, dum fortè eum læthaliter vulneratum curare attentant, occiſor eſſet condemnandus? Reſp. Quòd non.

non. Is enim demùm tenetur impenſarum nomine, qui eſt in culpâ. Nec eſt in culpâ, qui quod jura non tantùm permittunt, ſed etiam jubent, egit. E æquum non eſt amicos occi actionem lucrari, ex dolo de functi, ut qui aggreſſor erat i juſtus. Ut quem videri no poſſit aggreſſum ſe defenden tem, in curationis expenſa condemnandum eſſe. *§.* 1. *Inſt. de Oblig. quaſi ex del l ult* D.*de his qui dejec. l.* 1. §.11. *D. Si Quadr, pauper. feciſſ. dic. l.* 3. *l.* 52. §. 1. D. *Ad l. Aquil. l.* 3. *Cod. de* Naut. *fœnor. l.* 12. §. 1. *D. de Furt. l Gracchus* 4. *Cod. ad l. Jul. Adult Alex. l.* 6. *Conſ.* 84. *n.* 3. *Cravett. conſ.* 129 *n.* 11. *Schrader. de Feud. part.* 9. *cap.* 4. *n.* 56. *& conſ.* 37. *n.* 117. 2.

FINIS.